LXXIII.

357 SS. Mit Titelvign., 1 ganzs. gestoch. Port., 11 Textkupf. u. 2 Tab.

Digitized by the Internet Archive
in 2016

https://archive.org/details/pentekontarchoss00rami

grec. = Pentacontarchus

ΠΕΝΤΗΚΟΝΤΑΡΧΟΣ

SIVE

QVINQVAGINTA MILITVM DVCTOR

D. LAVRENTI RAMIREZ DE PRADO STIPENDIIS CONDVCTVS:

Cujus auſpicijs varia in omni litterarum ditione monſtra profligantur, abdita panduntur, latebræ ac tenebræ perveſtigantur, & illuſtrantur.



ANTVERPIÆ;
Apud Ioannem Keerbergium,
ANNO M. DC. XII.

PHILIPPO III.
HISP. ET INDIARVM
REGI CATHOLICO.

FOventium faventia eſt, REX CATHOLICE, quæ Muſarum ad ſtudia juvenes accendit magis: Additque animos mihi virtus MAIESTATIS T. maxima, NOSSE SVOS præmium laturos, amplum ſatis, IVDICIO Principis, SVFFRAGIO Principis. Tuis primùm oculis, uti par eſt, hicce ſe PENTECONTARCHVS exhibet, fidenter ſperans, pro Tua religioſa pietate, TE velle non poſſe eum non excipere, qui aſylum duces gratum confugientis à foro & litibus ad SACRA HÆC. Dedit nomen auſpiciis Tuis. Vt enim

radij Solis contingunt quidem terram, tamen ibi ſunt unde emittuntur; & in loca caligantia conjecti illuſtrant, non obſcurantur: ſic Princeps, licèt ad noſtra quantulacunque ſe demittat, hæret origini; ſplendet pleno lumine ſuæ lucis. Tu mihi affulges, facilis aditu, benignus vultu & verbis, hoc eſt, re. Beneficia non ſolùm in meos jam olim; ſed in me nunc ita cumulas, ut & majora mihi fas ſit polliceri. A liberali animo ac verè regio beneficium datum, datum in futuri teſſeram. Liceat cum Seneca acclamare: *Illius demùm Principis magnitudo ſtabilis fundataq; eſt, quem omnes tàm ſupra ſe eſſe, quàm pro ſe ſciunt.*

EX IVRE, EX ANIMO

T. MAIESTATI

addictus lubens

Don Laurentius Ramirez de Prado

IOANNI RAMIREZ DE PRADO,

E CLERICORVM MINORVM RELIGIONE

Fratri Lectori meo. S.

FRATERNAM *neceßitudinem omnes omnium charitates in ſe unam complecti, Frater amantißime, non ſolùm veris hiſtoriis, & fictis fabulis teſtatum eſt; ſed ipſa dicendi conſuetudine. Summam namque benevolentiam, vehementem amorem, & quæcunque animorum vinculum ſignificant* FRATERNA *vulgus appellat. Hæc ſatis oſtendunt ſtudium ſummum & verè fraternum erga te meum. Sumus enim ex eiſdem majoribus prognati, eoſdem appellavimus parentes, eadem pro ambobus vota excubuerunt, eadem agnovimus incunabula, & prope eadem fuit morum ac litterarum inſtitutio. Quorum quàm copioſa ſuavitatis recordatio ſit, quis eſt qui non videat? Dilexi te ut fratrem; fratrem natu minorem, ſuſpexi uti majorem. Tot equidem ſævientis fortunæ procellis agitatus in tutißimum Religionis ſanctæ portum tandem evectus, ſeculum valere juſſiſti, ac ſuſpendiſti*

——potenti
Veſtimenta maris Deo.

Quidni credam ſpectaſſe libenter alumnum ſuum tam claro ac felici exitu evadentem?[a] Ille illos conſecrat, quorum exitum, & qui timent, laudant. *Ego verò ſtatim ab ingreſſu tuo nihil antiquius duxi, quàm exhilarati animi ſignificationem tibi præbere & incœptum, quoad poſſem, juvare tuum votis, verbis, opere. Nunc autem cùm inſtet Tibi Sacræ Theologiæ ſtudium, non abs re mihi viſum, antequam te huic accingas viæ, quodammodo præmunire & ſternere eam iſto togato* PENTECONTARCHO [b] *(agnoſce & hoc ſacrum vocabulum) in tui fratris* μνημόσυνοι. *Numerum quinquaginta capitum ducit, in uno quoque præluceo facem obſcuro divinæ ſcripturæ loco ſingulari, accenſam ſæpe Romanorum moribus, qui ijdem pæne ac Hebræorum: ſive quòd omnium gentium approbatione in conſuetudinem pervenère: ſive quòd Iudæi jam indè à Pompejo in ditionem Romanam redacti,*[c] *ad Victoris populi normam (quæ profuſa illius gentis adulatio erat) ſe dirigebant in ijs, quæ patrijs legibus non obviarent: cùm potis mortem oppeterent, quàm quidquam eaſdem contra admitterent.*[d] *Luſtra. Theologos reperies, Jureconſultos leges, Philoſophos intelliges; Denique omnis menſæ ferculum exhibetur. O utinam ſuaviſſimum epulum! Nec mireris me, Juriſprudentiæ addictum, Theologiam tractare;*

[a] Seneca de provid. cap. 2.

[b] c 3. Machabæu 55. lib. 1.

[c] Ioſeph lib. 19. antiq. c. 8. Dio lib. 37.

[d] Philo πρεσβείας πρὸς Γάιον.

&

& velut falcem in meſſem immittere alienam. Nemo enim Iuriſperiti nomine cenſendus, quin priùs Divinas Humanaſq́ res, vel ſummis, quod ajunt, labris deguſtauerit. Audi Imperatorem Iuſtinianum in ipſo Inſtitutionum limine[e] Iuriſprudentia eſt Divinarum atque Humanarum rerum notitia, juſti atque injuſti ſcientia. *Res divina in Iure. Ius Civile Ogygijs illis temporibus de Sacerdotibus, & de ſacris agebat. quorum cognitio penes Pontificum collegium erat, ut ait Pomponius.*[f] *Sub Iuſtiniano autem jam integri tituli de* ſumma Trinitate & fide Catholica, *de* ſacroſanctis Eccleſijs, *de* Epiſcopis & Clericis *in Codice; & in Authenticis Conſtitutionibus multi alij; Eaq́ re Vlpianus.*[g] *Iureconſultos* Sacerdotes *appellat & ipſemet Imperator.*[h] *authoritatem legum reſcribit* divinas & humanas res bene diſponere. *Dirigit inquam, in Juriſprudentiæ metam rerum Humanarum notitia, hoc eſt, liberalium ac bonarum litterarum, velut prælibatio quædam.* Humanitas *non ſolùm* φιλανθρωπίαν *ſignificat, dexteritatem ſcilicet quandam, & benevolentiam erga homines promiſcuam, quæ docet hominem verbis, rebus, affectibus comem & facilem hominibus eſſe: ſed* παιδείαν, *id eſt, eruditionem, inſtitutionemq́ in bonas artes. Nam ut eſt in proverbiali ſenario*

ἅπαντας ἡ παιδεία ἡμέρους ποιεῖ

——[i] ingenuas didiciſſe fideliter artes
Emollit

[e] §. 1. de Iuſt. & Iure.

[f] l. 2. §. deinde ff. de orig. Iur.

[g] l. 1. ff. de Iuſt. & Iur.

[h] l. 1. §. 1. Cod. de vet. Iur. enucl.

[i] Ovid. de Ponto eleg.

Emollit mores, nec ſinit eſſe feros.

Vnde res Humanæ, Humanitatis ſtudia. teſtatur id Marcus ille Varro, qui Humanarum rerum *titulum præfixit libro cuidam ſuo, ut refert A. Gellius.* [k] Itaque, *ait*, verba Varronis è libro rerum Humanarum primo, cujus principium hoc eſt. Praxiteles, qui propter artificium egregium nemini eſt paulum modò Humaniori ignotus. *Subjungitq́ interpretationem.* Humaniori, inquit, non ita, ut vulgò dicitur, facili, & tractabili, & benevolo: tametſi rudis litterarum ſit (Hoc enim cum ſententia nequaquam convenit:) ſed eruditiori doctiorique. *Dixit ergo* notitiam *Imperator Humanarum rerum, non ſcientiam: Quia tamdiu iſtis immorari Iuriſconſultum decet, ut præparent eum, non detineant, ducunt, non conducunt, rudimenta illi eſſe debent, non opera. Præbeo itaque ſpecimen Divinarum rerum. Præbui Humanarum jamdiu. Reſtat juſti atque injuſti ſcientiam proponere. Polliceor. Habeo opus licèt informe, doctum ſanè & laborioſum ad tres ultimos libros Codicis illuſtrandos; & miſcellanea quædam juris per ordinem alphabeti propria* PATRIS *(heu quondam noſtri) manu exarata & congeſta, quæ* σὺν θεῷ *elucidare, & luci dare ſpero. & tunc de re litteraria bene meritum me non immeritò reputarim. Vt enim lilia papillata in acutum faſtigiata, acumen excerpta licet, vaſcula tamen excepta*

9. Plato dixerat jampridem in fine lib. 3. de Repub. Cicero pro Archia Poëta. *Artes quibus ætas puerilis ad Humanitatem informari ſolet.* & paſſim alibi.

k lib 13 Noct. Attic. cap. 15.

Exſinuant

Exſinuant lymphâ collectos vertice amictus,

& folijs foris ſtriatis ab anguſtijs in latitudinem ſeſe paulatim laxantibus, totam candoris pandunt ambitionem, gratiſsimum ſpirantia odorem: Sic ille, qui virtutis ſectator eſt, quamvis Livoris morſibus, & gravibus ærumnis petatur, prematur: nihilominus dilatatur conſpicuus, ac ſeſe[1] ἐπ' ἐλπίδι παρ' ἐλπίδα: *florentē illæſum univerſis exhibet. Graviter D. Chryſoſtomus.* οὐκ ἔστι τὸν τῆς ἀρετῆς ἐπιμελούμενον, μὴ πολλοὺς ἔχειν ἐχθρούς, ἀλλ' οὐδὲν πρὸς τὸν ἐνάρετον· διὰ γὰρ τῶν τοιούτων λαμπρότερος ἔσται μειζόνως. *Vale mi Frater.* ὁ

[1] *in ſpem contra ſpem.* D. Paulus Ep. ad Rom. cap. 4. nu. 18.

Macte nova virtute puer, ſic itur ad aſtra!

Vale iterum. ex Muſæo noſtro Madridienſi VII. *Kal. JunI. anno* CIↃ. IↃCX.

Tuus frater

Don Laurentius Ramirez de Prado.



DE DON IVAN DE IAVREGNI.

MI eſtilo figuró tu roſtro mudo
Sin que tu ingenio figurar preſuma:
Mas pintelo tu voz, i dieſtra pluma,
Pues ni mi eſtilo, ni mi lengua pudo.


ÆTATIS
XXVI

APPROBAÇION DEL VICARIO.

POR comiſion, i mandado de los Señores d'el Conſejo he hecho ver eſte libro contenido en eſte memorial, compueſto por Don Lorenço Ramirez de Prado: no contiene coſa contra la Fë, ni buenas coſtumbres; antes muchas de importançia, i erudiçion, i mui ſana Dotrina, i mui curioſa, i ſe le puede dar licençia para imprimirle. A le viſto, i aprobado por mi orden el Padre Maeſtro Fr. Ortenſio. En Madrid à 14. el Iulio. 1610.

El Dottor Gutierre de Cetina.

FR. HORTENSII FOELICIS PARAVICINI, IN SALMANTICENSI Academiâ Doctoris Theologi

Indicium de Scriptore, & Libro.

VIDI πεντηκόνταρχον Don Laurentij Ramirezij à Prato; immò στρατηγεῖν vidi, & in πεντηκοντάρχῳ πένταθλον. Ergò nihil peccatum in Sacras Muſas, nihil de omni litteraturâ non tactum: ſcriptum ſupra adoleſcentem; attamen ab adoleſcente. Obſcuros ſenſus illuſtrat, abditos eruit, novos excogitat, & prophano igne ſuccenſa face ſacris prælucet; adituúque ſplendenti ad Bibliorum adyta præit. Nec verba in ætate luxuriant, aut in timore cum Pindaro χαμαιπετεῖς λόγοι ſunt; ſed vegeta à Genio calent, preſſa à judicio ſignificant, & ad titulū pugnæ, & arenæ videas omnia, non ſcænæ, id eſt, *militat*.

O fœlix Quinquagenarie! (imaginem tuam, Scripturæ verbum aſſero) Conſul tibi prodic diem, & ingenij acies produce. In Fortunam, in Deſidiam, in Male-volentiam pugna. Primus bono nomine, & Dux, & Miles *Pratum* Vlpiano tuo *fructui paratus*,

ratus, & Romano Agricolæ *Princeps ager.* Ego in tanta ſegete Gloriæ, flori video fructũ prævertere, & in Prato te *Rameum* à *Ramirezio, à Laurentio Laurum*; quaſi à Natura eapſe coronam, & agonem intueor. In nominibus ludos facio, cùm rem non aſſequar. Tu egregie & generoſum illud virtutis, & ingenij honeſtum, ac altum ſcripto ſpiras; ſed inſpiras CONSTANTIA.

En hanc cenſionem noſtram, non quaſi judicij tabellam; ſed affectus, & voti. Teſſeram amici do, pro tabellâ Quæſitoris.

APPROBATIO DOCTORIS HIERONYMI ROIZII DE CAMARGO CANONICI MAGISTRALIS IN ABVLENSI ECCLESIA CATHEDRALI:

Qualificatoris autem in Supremo Generalis Inquiſitionis Senatu; nec non ab eodem officio Sancto Commiſſarij delegati, ac Indici librorum prohibitorum concinnando electi.

SVpremi Senatus juſſu diligenter perlegi hunc librum Πεντηκόνταρχος inſcriptum, auctore Don Laurentio Ramirez de Prado. cujus dum ingenij dotes, inſigneſque virtutes mente revolvo in mentem ipſam venit illud Poëtæ non ignobilis

Creſcit ab ærumnis, & per diſcrimina mille
Perficitur Virtus, acuens ſe; preſſaque in altum
Surgit, Idumææ velut arbos virida Palmæ.

Seminavit in lacrymis, ingenioſiſsimus Adoleſcens, *in exultatione metet*: & *qui metit*, ait Dominus, *mercedem accipit, & congregat fructum.* En fructus eruditiſsimi Adoleſcentis! En opus manuum ſuarum numeris omnibus abſolutum! in quo multa ex Sacris litteris, & S. S. Patrum ſcriptis, plura ex Iure-conſultorum adytis, plurima ex Antiquitatis ſitu eruta; omnia ex limpidiſsimis Græcorum Latinorumque fontibus magno judicio hauſta, unico verbo πολυμαθία. Cùm ergò opus ſit le-

 ctionis

ctionis, eruditioniſque multæ, utilitatis magnæ, & Sacræ Dô-ctrinæ maximè conſentaneum; quid aliud ego adhibere potui, quàm verba Senecæ apud Tacitum, ut *ſtudia hæc in privata umbra, ut ſic dixerim, educata, è quibus claritudo venit,* publicam lucem accipiant. Sic cenſeo. Madridij die XIX Auguſti. CIↃ. IↃCX.

EL REY.

POR quanto por parte de vos Don Lorenço Ramirez de Prado, nos fue fecha relaçion, que aviades compueſto un libro intitulado πεντηκόνταρχος, *ſive Quinquaginta militum ductor,* el qual era mui util, i probechoſo, i os avia coſtado mucho eſtudio, i trabajo; nos pediſtes, i ſuplicaſtes os mandaſemos dar licençia para le poder imprimir por el tiempo que fueſemos ſervido, ò como la nueſtra merced fueſe. Lo qual viſto por los del neuſtro Conſejo, por quanto en el dicho libro ſe hiçieron las diligençias, que la pragmatica por nos ultimamente fecha ſobre la impreſion de los libros diſpone, fue acordado, que debiamos mandar dar eſta nueſtra cedula para vos en la dicha raçon, i Nos tuvimos lo por bien. Por lo qual por os hazer bien, i merçed os damos licençia i facultad, para que vos, ò la perſona, que vueſtro poder oviere, i no otra alguna, podais imprimir el dicho libro intitulado πεντηκόνταρχος, *ſive Quinquaginta militum ductor,* que de ſuſo ſe haze mençion, en todos eſtos nueſtros Reinos de Caſtilla por tiempo, i eſpacio de diez años, que corran, i ſe cuentan deſde el dia de la data d'eſta nueſtra çedula, ſo pena que la perſona, ò perſonas, que ſin tener vueſtro poder lo imprimiere, o vendiere, ò hiziere imprimir, ò vender; por el miſmo Caſo pierda la impreſsion que hiziere con los Moldes, i aparejos della; i mas incurra en pena de cincuenta mil maravedis, cadavez que lo contrario hiziere. La qual dicha pena ſea la terçia parte para la perſona, que lo acuſare, i la

otra

otra terçia parte para nueſtra Camara, i la otra terçia parte para el Iuez que lo ſentenciare: con tanto que todas las vezes que ovieredes de hazer imprimir el dicho libro durante el tiempo de los dichos diez años le traigais al nueſtro Conſejo. Iuntamente con el original, que en el fue viſto, que va rubricado cada plana, i firmado a'l fin d'el, de Iuan Gallo de Andrada nueſtro eſcrivano de Camara, de los que en el reſiden; para que ſe vēa ſi la dicha impreſsion eſtà conforme a'l original ò traigas Fë en publica forma de como por corrector nombrado por mi mandado ſe vio, i corrigio la dicha, impreſsion por el original, i ſe imprimio conforme à el; i quedan impreſſas las erratas por el apuntadas, para cada un libro de los que aſsi fueren impreſſos, para que ſe taſſe el preçio que por cada volumen ovieredes de aver. I mandamos a'l impreſſor que aſsi imprimiere el dicho libro, no imprima el principio, ni el primer pliego d'el, ni entregue mas de un ſolo libro con el original a'l Autor, ò perſona à cuya coſta lo imprimiere, ni à otra alguna para efeto de la dicha correcçion, i taſſa: haſta que antes, i primero el dicho libro eſte corregido, i taſſado por los d'el nueſtro Conſejo, i eſtando hecho, i no de otra manera pueda imprimir el dicho principio, i primer pliego, i ſucçeſivamente ponga eſta nueſtra çedula, i la aprobaçion, taſſa, i erratas, ſo pena de caër, e incurir en las penas contenidas en las leyes, i pragmaticas deſtos nueſtros Reinos. I mandamos à los de nueſtro Conſejo, i à otros qualesquier juſticias de'llos, que guarden, i cumplan eſta nueſtra çedula, i lo en ella contenido. Fecho en Lerma à diez i ſeis dias d'el mes de Setiembre, de mil, i ſeis cientos, i diez años.

YO EL REY

por mandado d'el Rei nueſtro Señor

Iorge de Tovar.

EL REI.

POR quanto por parte de vos Don Lorenço Ramirez de Prado nos fue fecha relaçion, que aviades compueſto un libro intitulado Πεντηκόνταρχος dirigiendole à nos: para cuya impreſsion os aviamos dado liçençia, i privilegio. I porque la ultima lei que trata de la impreſsion de los libros prohibia à los naturales d'eſtos nueſtros Reinos, que los imprimieſſen fuera d'ellos ſin eſpeçial liçençia nueſtra, nos pediſtes, i ſuplicaſtes os la mandaſemos dar; para que en la Ciudad de Ambers, que era de nueſtra Corona le pudieſedes imprimir, à tento qu'el dicho libro conſtaba en mucha parte de letras Griegas, i otras curioſidades, de que avia gran falta en las emprentas d'eſtos nueſtros Reinos, i à que no teniades poſibilidad para imprimille por la gran coſta que ſe cauſſaria, ſi ſe uvieſen de fundir caracteres nuevos: i en la dicha Ciudad de Ambers ſe imprimia con mucha comodidad, ò como la nueſtra merçed fueſſe. I viſto por los de nueſtro Conſejo fue acordado que debiamos mandar dar eſta nueſtra çedula para vos en la dicha raçon, i nos tuvimos lo por bien. Por la qual vos damos liçençia, i facultad para que por eſta vez, podais hazer imprimir el dicho libro intitulado Πεντηκόνταρχος, que de ſuſo ſe haze mençion, fue à deſtos nueſtros Reinos, guardando en todo el tenor, i forma d'el dicho privilegio ſin eçeder d'el en coſa alguna, de la meſma manera, que ſi le imprimierades en eſtos nueſtros Reinos; que para en quanto à lo ſuſo dicho por eſta vez, nos diſpenſamos con lo contenido en la dicha lei, quedando en todo lo demas en ſu fuerza i vigor. Fecha en Aranjuez à treinta dias d'el mes de Abril de mil i ſeiſcientos, i onze años.

YO EL REY

por mandado d'el Rei nueſtro Señor

Iorge de Tovar.

DON IOANNES DE FONSECA, ET FIGVEROA MARCHIONIS DE ORELLANA F. IN SANCTA CATHEDRALI Hiſpalenſi Eccleſia Canonicus & Magiſter ſcholæ Amico ſuo.

PRœlia grandiloquo tentant Mavortia verſu,
Pugnaceſque ſolent tollere ad aſtra viros.
Aut mœſtos referunt alterno carmine caſus,
Aut lyricis celebrant te, Citheræa, modis.
Rerum ſcriptores permulti Oenotria tellus
Quos tulit, aut Graji quælibet ora ſoli
Pandectas varij ſcrutantes Codicis umbras
Sollicitant, vel quid pagina ſacra, docent.
Mente volant alij vigili per & ætheris orbes,
Et contemplantur. murmuret unde Polus.
Vnde cadat nimbus, micet ignis, ſaxea grando,
Vnde volans ventus, nix tegat arva plagæ.
Quique parallelli, cicli, quæ Tyndaridarum
Genua, cauda, Nepe, ſphærica ſigna rotent.
Sidera, Delphinos, gemmas, arbuſta, metalla,
Dat ſale, ſole, ſolo Praxis, & alma φύσις.
Vnica materies, digitis ſed texta Minervæ,
Vnum opus eſt, uni vix datur unus bonor.
Pauci audent rerum plures aperire latebras,
Nam gravis imbelles atterit haſta manus.
Solus es è multis varijs, qui floribus auges
Sertum, cui rutilant lilia mixta roſis.
Fert Labyrintheos candens tua pagina flexus,
Fert varijs varias Pygmalionis opes.
Sex denis tua deme decem, tot fulgida gemmas
Fert torques, tua tot tempora ſerta premunt.
Nobilitatis honos, Patriæ lux, gloria, cultor,
PENTE *es* CONTARCHVS *dux, & Apollo ducum.*

L. LVDOVICVS TRIBALDVS TOLETVS.

SPiritus Æthereus rapidum converſus in ignem,
Quem quinquageni conſtituunt numeri,
Terrigenûm mentes colluſtrat lumine, & idem
Fœdâ animos purus purgat ab illuvie.
Hinc nitida tenebras PENTECONTARCHVS inertes
Luce fugat, numeri nomen, & omen habens.
Errorum hinc nebulis purgat ſacratq́ue profana,
Præcipuè at ſacris præferet ille facem.
Sæpè etenim in fanis conſtruxit aranea telam,
Eſtq́ue in ex-ſcriptis ſæpè litura ſacris.
Quas tamen æditui perpurgat ſedula cura
Vt rebus numerus conſtet ubique ſuis.
Hæc Lauro dignus Laurens dum præſtat, ab uno
Hoc numero par nunc omnibus eſt numeris.

DON ANTONIVS COLOMA COMITIS DE ELDA F.

AMphitryoniades ſolus mille agmina preſſit
Non numerus vincit, ſed bene ſtructa cohors.
En decies quinque effuſum horrentibus armis
Agmen agunt, magni fert leo tela ducis.
Vel cunei ſævi ferrata haſtilia vertant
Secura eſt tanto Principe palma viris
Virgineuſque chorus Mavortia pila retorquet
Et tingit niveas Ira rubore genas.

Ære manus, ferroq́ue caput, furit Aegide pectus,
Et duce ſub tanto barbara tecta petunt.
R AMIREZ *præſtat ſpicata cuſpide ramos.*
Contus vi ſuperat; impete, & haſtâ premit.
Iſmenij tripodem ſequitur Victoria fœlix
Enſis nam ſolvit Lora, Minerua trucis.

FRANCISCVS PENIA CASTELLANVS DOCTOR MEDICVS AC PHYSICVS, OLIM IN ACADEMIA TOLETANA PVBLICVS MEDICINÆ PRO*feſſor, nunc autem ex eorum numero, qui Regiæ familiæ ſumma cum laude medicantur.*

HAud librum hîc quæras, nihil hoc, mirabere Hymetti
Florida prata, tenet quot folia ipſe liber.
Gratus ades, ſi animum viſus non paſcit inanem,
In PRATO hoc ſaturi ſunt tibi ruris opes.
Eſt LAVRVS capiti, RAMIS pendentia mala,
Nominis augurio ſi qua adhibenda fides.

DON IOANNES BATHEVS CHARISSIMO SVO DOMINO D. LAVRENTIO RAMIREZ DE PRADO: Iuveni C.

ἐγκωμιαστικὸν

PVLCHRA nigreſcentes lugenti ex orbe tenebras
AVRORA, auricomi, prædroma ſolis agit.
PVLCHRA ſuos altâ cincinnans fronte capillos
Saxorum invito pondere PALMA viret.
PVLCHRVM per rigidos tractus, & inhoſpita campi
Victor, leni equitans agmine, FLVMEN ovat.
PVLCHER Acidalias vitreis Cryſtallinus undis
Singultat lacrymas FONS ſalientis aquæ.
PVLCHRA vireſcentes Tyrio ROSA purpurat hortos
Murice, ſanguineis vermiculata notis.
At dum Fortunæ, Laurenti, fluctibus actus
Ardua liligerum tollis ad aſtra caput;
PVLCHRIOR emergis CONTRA SPEM vividus IN SPE
AVRORA, PALMA, FLVMINE, FONTE, ROSA.

M. VIN-

M. VINCENTIVS MARINER

VALENTINVS.

MVſarum miles ſacri cape fulmina Martis,
Hîc Aethnæ montes, mentis & arma micant.
Huc radios flectit nitidos Latinia proles,
Hinc Maja genitus extrahit oris opes,
Palladis hîc rutilans, frontem, coma nectit, eburnam:
Aurato & ſtillat hic quoque rore Iovis.
Ilias hic Sophiæ parvâ nuce pingitur ingens,
Lucidus hîc vatum vertitur ipſe polus.
Hîcque Pelops Muſas curſu tenet, omine profert,
Ad Phœbum melior non datur ulla via.
Cernere ſi Cypriæ tentas viridantia Tempe,
Flos fragrat, aura crepat, ſtat roſa, cantat olor.
Alta petis! totum cœli caput arce recondit,
Invenies nunquam, ſi petis, ima libro.
Lectio, nomen, opus cunctos docet, allicit, auget,
Sacra, ingens, doctum, mente, nitore, fide.
Penna volat, ſurgitque lepor, ſtylus aureus ardet,
Mens ſplendet, mira eſt lectio, verba tonant.

DON PETRVS DE LVNA ET DE LA ZERDA DVCIS BISBONAE FILIVS.

SCidit Calliopes, Laurenti, ex arbore Ramum
Prati, deliciæ, cura, decuſq́; ſui.
Quinque decem folijs contexit, & indè coronam
Dignam, Phœbeas implicuiſſe comas.
Cui Deus. ah! noſtro creviſti, planta, dolore
Hactenus, hinc tandem cultior arbor eris.

EX animi ſententia nihil in hoc operē, nec in alio quoquam meo, dictum volui contra S. R. Eccleſiæ decreta, vel Fidelium mores: Si aliquid ſecus excidit VOLO VOVEO indictum ſiet.

Don Laurentius Ramirez de Prado.

SVMMA CAPITVM.

CAP. I.

QVid σοφία, & φρόνησις. φρονέω. *Noli altum ſapere. Eſtote prudentes ſicut ſerpentes. Serpens erat callidior cunctis animantibus terræ.* Cur in Mercurij Caduceo angues? explicata l. *in circulatores.* π. de *varijs & extraordinarijs criminibus.*

CAP. II.

FVllonia ars. Amphoræ propter vias ad urinam faciendam. Cretare. durare. expolire. quid apud D. Matthæum. *Veſtimenta ejus candida ſicut nix.* & apud D. Marcum. *Qualia fullo ſuper terram non poteſt candida facere.* ἐσθῆτα λαμπρὰν. Album. Candidum. λευκονόλοι. βύσσινον λαμπρὸν. καὶ καθαρὸν. *Albeſcente Cælo.* Paulus I.C. illuſtratus.

CAP. III.

DEcem menſibus homo editur. *Decem menſium tempore coagulatus ſum.* Duplex lunaris menſis. Decimeſtris, undecimeſtris Partus. Iuſtinianus intellectus. M. Varro enodatus. *Idem Accl quod Titl.* Alciati opinio rejecta. Hippocrates ſibi conciliatus. Apud IC[os] poſt decem menſes partus illegitimus. Seneca in controverſijs illuſtratus. Viduæ luctus tempus decem menſes. Quare? Ovidio lux. ejus antiqua lectio aſſerta. De ſeptimeſtri partu. Ratio Pythagoræa. Paulus IC. cum ſeipſo in concordiam adductus. D. Ambroſius explicatus.

CAP. IV.

MOs circuncidendi à Iudæis. Aegyptii ab iſtis ſuſceperunt. Herodotus, & Ioſephus reprehenſi. Cultri lapidei ad circuncíſionem, id apud varias Nationes. Ioſue explicatus, Samia teſta. Iuvenalis emendatus. Quid STVR? *Adjutorium gladij*, Samium. Samiare. Samiator. Samiata arma.

CAP. V.

TRibuni, centuriones, & Milites ad cuſtodiam reorum. Cuſtodia pro noxio. Catenis adſtricti. Manus dextra eorum. Militum ſiniſtra. duo aliquando milites dati, tunc utraque rei manus alligata. Et medius inter Cuſtodes. Actorum loci duo explicati. Militaris cuſtodia quæ? Caſtrenſis: *ſui hæredes.* illuſtratur l. *in cauſſa.* π. *ex quibus cauſſis majores.*

CAP.

CAP. VI.

Beata Seraphim. Filius Hominis.

CAP. VII.

TRibuni, Centuriones, & Milites dati damnatorum pœnis executores. FACTVM ESSE QVOD IMPERASSET. Speculatores. unde dicti. Locus D. Marci explicatus. Optiones. Veſtes damnatorum inter milites diviſæ. l. *D. Adrianus* π de *bonis damnatorum* explicata, & alia Hiſtoria Sacra D. Ioannis illuſtrata. Duæ Salmaticenſes antiquæ leges Municipales. *Sayon.* ejus Etymon. Zona. Baltheus. gemmis & auro diſtinctus. Ioannes de Mena Hiſpanus Poëta declaratus. Parazonium. Tribuni cuncti. Accurſius defenſus. *Eſquero.*

CAP. VIII.

B*utyrum & mel comedet, ut ſciat.* Terentio, Ovidio, & Iuvenali lux.

CAP. IX.

TOrmenta fallaciſsima. Servi ut in caput Domini torquerentur, publicati. Bartolus reprehenſus. illuſtrata. l. *unius.* π. de *Quæſtionibus.* Cappadoces ad falſa teſtimonia, cùm torquerentur, durantes. τρία κάππα κάκιστα. Petronius emendatus. Myrrhatum vinum; aliud dulce, aliud amarum. D. Matthæus, & D. Marcus explicati. *Vinum damnatorum.* Apulejus correctus.

CAP. X.

VNum uni contrarium eſſe. Non unum duobus, aut multis. Eccleſiaſticus, Plato, Ariſtoteles, Iureconſulti, & Poëtæ explicati.

CAP. XI.

COena duplex. ἔρανοι. Symbolum. Eranarcha lex Codicis emendata. *Miſſa.* Convivium collaticium. *Colacion.* a Symbolus. immunis. Martialis explicatus. Symbolum Apoſtolorum. Locus Proverbiorum illuſtratus. Comeſſalia. Conferta. Sacri canones explicati.

CAP. XII.

SErvi ad pedes in convivijs. A, & A D. præpoſitiones in officijs & dignitatibus ſignificandis. Spartianus explicatus. Cōmentarij ὑπομνήματα. A commentarijs. ὑπομνηματόγραφος explicata. l. *ſiquos.* 59. de *Decurionibus. lib.* 10. *Codicis.* Servi miniſtris ſtantes in cœna, & retrò. D. Lucas illuſtratus. Cœnaturi ſoleas deponebant. Et pedes lavabant. Iudæi totū corpus.

CAP.

CAP. XIII.

SErvi præcincti linteo in convivijs. Lictores unde dicti? D. Ioannes explicatus. σάβανον quid? Servus miniſter παριζωσάμενος, διάκονεω, διάκονος. Mercurius appellatus διάκονος.

CAP. XIV.

DE decem Virginibus quæ exierunt obviam Sponſo, & Sponſæ D. Matthei. cap. 25. nuptiæ noctu. Faces ſpineæ. Funalia cerea. Cicero emendatur. πάσαι ἔνδοι. Theocritus & Catullus illuſtrati.

CAP. XV.

CRucifigendi ſuam crucem portabant. Locus D. Ioannis explicatus. Simon Cyrenæus ſuppoſititius D.N. Evangeliſtæ conciliati. Cruciarij deducti cum vexatione. Angariare. Angaria apud ICtos. S. Chryſologus emendatus. Ἄγγαρος παρὰ σάγγαι. D. Matthæus illuſtratus.

CAP. XVI.

Ignoto Deo. ἀγνώστῳ θεῷ. Ara Clementiæ apud Statium.

CAP. XVII.

INſepulta punitorum cadavera ex pœna, id apud varios Populos. Indulgētiâ Principis deponi ſolita. rarò tamen. Corpus in patibulo remanere poſt ſolis occaſum Iudæis nefas. Dominus Chriſtus Romanorum more crucifixus. Sepulchra in agris. Commune id Romanis, & Iudæis. Etiam in finibus agrorum. limitaris. Ciſternæ Cavernæve ad Punitorum ſepulchrū. Horatio lux. Quid *Iuſta ſepultura*. Marciano IC? *Iuſta*.

CAP. XVIII.

VEntres pigri. Αεργὸς ἀργὸς. Horatius illuſtratus. Pariſiti veloces, & voraces.

CAP. XIX.

Σωφρονίζω. Locus D. Pauli bis animadverſus. ἀγαθὴ κουροτρόφος. *Bona fœmina*. Ennius & Catullus explicati, hujus nova lectio defenſa. *Sage femme*.

CAP. XX.

DAmnati non lugebantur. *Lugere* quid? vota luctum minuebant. Quo die publicè ſuſcepta? Gajus Iure conſultus explicatus. *Sedere* in luctu. D. Ioannes illuſtratus more antiquo. Lex Iudæorum propoſita & expoſita.

CAP. XXI.

AStarte, Aſtaroth, vera ſeptuaginta lectio aſſerta, Aſtaroth etymon. Sidoniorum Dea. Decreto *Adardarga* Adargatis. Macrobius emendatus. Plinij lectio ſanata. Crinitus correctus.

CAP. XXII.

TRaducere παραδειγματίζειν. D. Matthæus explicatus. Damnati in exemplum. Quò ſupplicia ſpectant. Tacitus interpunctione ſanatus. Pœnæ atrociores. *Exempla*, captivi in pompa catenis vincti, & ducti, Fluvij, Vrbes, Pugnæ, D. Nazianzenus intellectus. Gloſſæ veteres illuſtratæ.

CAP. XXIII.

HOrarum inventio. Aequales, & inæquales. Civilis, & Naturalis dies. Horologia Solaria, hydrologia, Horæ *brumales*, *æſtivæ*. Martialis Interpretatus. Horæ abſolutè, æquales. Plinij duplici loco lux. Paulus Iureconſultus illuſtratus. Rebuffi opinio everſa. D. Ioannes intellectus.

CAP. XXIV.

NIx an alba, ex Anaxagoræ opinione? Oculorum ſenſus fallax. aqua tacita. vellus aquarum. ἐριῶδες ὕδωρ antiquis dicta. Rex David explicatus. *Qui dat nivem ſicut lanam.* Nix allegoricè ablutio peccatorum.

CAP. XXV.

GRæci prolixam barbam aluerunt. primùm tondere ſoliti raſerunt Alexandri ævo. ξυρέω προσκείρω. in ſupplicando mentum attingebant. Homerus barbatus. Philoſophi. Milites radebant barbam ne eâ ab hoſtibus comprehenderentur. Huic rei conſtituta pecunia. Alexander Magnus *Hircus* vocatus. Græci *capellæ*. Iuvenalis explicatus. Sub Domitiano Græci barbati. Imperatores Romani ab Hadriano.

CAP. XXVI.

POëtarum fabulæ. Philoſophorum dogmata, & ſententiæ, Religioſi Romanorum mores è Sacra Scriptura. Pravè tamen. Duplex apud Iudæos politica excalceatio: Pœnalis: confirmatoria. Flavio Ioſepho medicina: Hyminæus ſoccatus. Locus Virgilij elucidatus. Garſias noſter Laſſus illuſtratus. Mos Turcarum in diſsidio.

CAP. XXVII.

Δῶμα δῶ in his ſpectare ſolitum. *Extrema tegula ſtare.* Hypæthrium, quid apud Iureconſultum Iavolenum? vela cilicia, domata, indomatibus ſacrificabant. Hieremias explicatus. Virgilius intellectus *Tegularia.* Domus endo do.

CAP. XXVIII.

QVid allegoria? Quid zypus? *Sina mons in Arabia, qui conjunctus eſt ei, quæ eſt nunc Hieruſalem.* D. Paulus explicatur, σύστοιχα. Agar, & Sina idem nominis apud Syros, & Arabes. Verba D. Ambroſi illuſtrata.

CAP.

CAP. XXIX.

TEmpora verborum Græcorum plura, quàm Latinorum. Quædam in Latinum transferri non poſſe. Explicatur locus D. Ioannis, *Et miſit eum Anas ligatum ad Caipham.*

CAP. XXX.

DE Articulis Græcorum, *Non ſum Propheta, Deus erat Verbum,* Terentij Eunuchus elucidatus. Item Paulus Vlpia. Theophilus & Marcianus BONI & MALI qui? acceptione quidem veteri, ſed adhuc nova. Plauto & Virgilio lux.

CAP. XXXI.

QVis vos faſcinavit. An ſit faſcinus? Quid faſcinus? Proëbra *Higa.* Mutinus hortorum cuſtos, quare? D. Auguſtinus & Aurelius Prudentius illuſtrati. Invidere, Faſcinare, Conturbare Iure conſultis. *Multa.* Præfiſcine.

CAP. XXXII.

SAcrum eloquium quali ſermone conceptum. ὅτι. *Quod.* Divus Ioannes explicatus. *Principium qui & loquor vobis.* Ariſtoteli lux data.

CAP. XXXIII.

Gedeonis exercitus, qui vicit Madiam qualis? T*anquam canis è Nilo.*

CAP. XXXIV.

VOcalis H. apud Græcos, apud Latinos *Eta,* non *Ita.* His ductibus delineatur. Quare? multa nomina Latina E. habentia, à Græcis auctoribus, qui Hiſtoriam Romanam ſcripſère per H. concepta. Perſius, & Martialis illuſtrati. Gajus item Iureconſultus *Eliam vocat iſte.*

CAP. XXXV.

PElecan. Pelecanus. *Alcatrax. Similis factus ſum Pelicano ſolitudinis.* Onocrotalus. Ejus etymon. Truo Cæcilij verſus explicatus.

CAP. XXXVI.

Περίεργα. Curioſa. Locus Actorum illuſtratus. libri Fatidici combuſti ex pœna. Vlpianus correctus. Eccleſiaſticus explicatur. Herodiano. Platoni. Ariſtaeneto, Catullo, & Horatio lux. *Curioſitas* in lege *Nemo,* C. de *Malef. & Mat.*

CAP. XXXVII.

Λῶρον, vel Λῶρος. ἱμὰς προτείνω *Cùm aſtrinxiſset eum loris.* Liberorum & ſervorum antiqua pœna. Terentius illuſtratus. Servilia verbera apud Iure conſultos. *Flagris rumpi* apud Vlpianum. Martialis explicatus.

CAP. XXXVIII.

Qua hora Dominus Chriſtus Cruci affixus. παρασκευῆ.

CAP. XXXIX.

SEdere ad dextram. Dextra pro Auxilio. Martialis intellectus. Locus Virgilij explanatus. Tegere latus. *Cadent à latere tuo mille.* De partibus Mundi dextris & ſiniſtris.

CAP. XL.

QVid cophinus? is & fœnum Iudæorum ſupellex. Calathus. DVD. *Manus ejus in cophino ſervierunt.* Ciſtiferus. D. Matthæus explicatus. *Et tulerunt reliquias duodecim cophinos fragmentorum plenos.*

CAP. XLI.

V*Eſpere ſabbati videre ſepulchrum. Sabbatum illuſcecebat.* Iudæi accendebant lucernas in principio noctis ſabbathi. Feſtum lucernarum apud Aegyptios. Luminibus, & cereis Populi Laureatas Imperatorum imagines excipiebant. λαβράτον. λαυράτον. l. 1. *C. publicæ lætitiæ portatores.* & lux & medicina. *Orto jam Sole. Dies quam fecit Dominus.*

CAP. XLII.

FRangere panē. Quadrati panes. *Quadra* quid? Heſiodus illuſtratus. *Aliena vivere quadra.* Virgilius emendatus. *Frangente panem* apud Hebræos.

CAP. XLIII.

Non relinquetur hic lapis ſuper lapidem.

CAP. XLIV.

IRa columbæ. Gladius columbæ. *Sancta columba,* apud Tibullum. *Noctuas Athenas.*

CAP. XLV.

NInive. Ionas. Hercules in ventre ceti. Andromedæ fabula. D. Hieronymus defenſus à calumnia Laurentij Vallæ. Atura. Aſſur. Tharſis.

CAP. XLVI.

Nemo aſcendit in cœlum. Tu es Magiſter in Iſrael. In hoc. ἐν τούτῳ.

CAP. XLVII.

Non auferetur ſceptrum de regno Iuda. Geneſis 49.

CAP. XLVIII.

Collyrida. D. Ambroſi. & Hieronymi lectio vindicata.

CAP. XLIX.

S*Icut qui mittit lapidem in acervum Mercurii, ita, qui tribuit inſipienti honorem.* Scriptura Sacra fabuloſis nominibus veritatem docet. Hermas. Hermaejon. Lapides ad Crucem in vijs. Κύριε ἐλέησον. Puellæ ad nuptias omen ex voce. Catullus explicatus. *Timere,* & *Sperare* idem. illuſtrata quædam lex *C. Theodoſiani.*

CAP. L.

EXtrema linea. Horatius emendatus. Terentio nova lux. Duplex linea in ſtadio. σκοπός. D. Pauli verba illuſtrata. *In finem.* Proverbium Sacris Litteris familiare.

Quid

Quid σοφία, *&* φρόνησις. φρονέω. Noli altùm ſapere. Eſtote prudentes ſicut ſerpentes. Serpens erat callidior cunctis animantibus terræ. *Cur in Mercurij Caduceo angues. explicata L.* in circulatores. π. *de varijs & extraordinarijs criminibus.*

CAPVT I.

QVomodo ſint intelligenda illa Geneſis verba cap. 3. *Sed & ſerpens erat callidior cunctis animantibus terræ,* dubium multis. Varij varias quæſtiones movent, & inter ſe digladiantur, quibus fortè ſuccurram, ſi priùs propriam vocabuli φρονιμώτατος ſignificationem, quo LXX Interpretes uſi ſunt, oſtendam: & quid ſit φρόνησις & φρόνιμος, ex ipſomet verbo φρονέω eruam in lucem. Ariſtoteles lib. 6. Ethic. c. 12. inter σοφίαν & φρόνισιν propriam videtur aſsignare differentiam, & φρονιμῶς in actionibus circa ſingularia verſari. Vnde φρονιμοὺς vocarem ego induſtrios, eutrapelos, domeſticos, & qui ſe inſinuant nobis, & familiariter converſantur. Quales deſcribit Iuvenalis Græculos illos, qui Cives bonos è magnis domibus expellebant, cùm inquit Satyr. 3. verſu. 76.

Grammaticus, rhetor, geometres, pictor, aliptes
Augur, Schoenobates, medicus, magus, omnia novit,
Græculus eſuriens in cælum, juſſeris, ibit.

& paullò pòſt verſu 113.

Scire volunt ſecreta domus, atque inde timeri.

Sæpè legimus apud Homerum cũ aliquem Principem inducit loquentem, veluti Iliad.2. verſ. 78.

Οσσφιν ἐϋφρονεὼν ἀγορήσατο καὶ μετέειπεν.

vulgò vertunt: *Qui ipſis bene ſapiens concionatus eſt, & dixit*. Frigidè ſanè, & ſine ſenſu: potiùs interpretêre. *Qui ipſis conciliatus, & ipſos deliniens, ipſis ſeſe dedens, & inſinuans, concionatus eſt, & dicebat*. Imperatores enim in bello ſic ſe conantur exæquare militibus, ut eos *commilitones* & *ſocios* appellent: ac plerumque in opere, in agmine, gregario militi mixti, incorrupto tamen ipſorum decôre, promptos in armis ſe oſtendant comitate, & alloquijs officia provocantes, ut refert Tacitus de Cæſare Tito dilecto jam à patre perdomandæ Iudææ, lib. 5. Hiſtor. in principio, & Suetonius de Vitellio cap. 7. Et quemadmodum μεγαλοφρονεῖν, eſt ſuperbire; ſic φρονεῖν eſt æqualiter ſe habere cum alijs, prudenter tamen, & cordatè, quod Calliſtratus dicit *authoritatem dignitatis ingenio ſuo augere*. l. 19. De *off. Praſ.* π. Hinc intelliges illud Divi Pauli epiſt. ad Romanos cap. 11. num. 20. μὴ ὑψηλοφρόνει ἀλλὰ φοβοῦ, quod rectè, uti omnia Vulgatus vertit Interpres. *Noli altum ſapere, ſed time*. Significantiùs, & ad verbum expones: *Noli ſuperbire, ſed time*. ſeu, ſi Pagninum ſequi malueris, *Ne efferaris animo*. Timor enim Superbiæ opponitur.

Sic

Sic D. Thomas. *Noli de te ultra præſumere.* Eadem fidelia dealbandus ſacræ Hiſtoriæ locus apud Divum Matthæum cap. 10. nu. 16. γίνεσθε, inquit, οὖν φρόνιμοι ὡς οἱ ὄφεις, καὶ ἀκέραιοι ὡς αἱ περιστεραί. Vulgatus. *Eſtote prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ.* Quaſi diceret explicans verbum *ſimplices*, quod in Græco eſt ἀκέραιοι. *Eſtote mites*, & explicans τὰ *prudentes ſicut ſerpentes.* inſinuate vos feris lupis, &, ut ad illud ἀκέραιοι redeam, nè referiatis, quod proprium eſt columbarum. Dixerat antè D. N. *Ecce ego mitto vos, velut oves in medio luporum*, non tamen volo vos arma contra parare, aut vim propulſare; ſed in ſuavitate, & patiencia impetus incurſantium ſuſtinete. I duplici namque prudentiæ genere, qua ſe tuentur, ſerpentes uti debemus, de ea Pſalm. 57. *Sicut aſpidis ſurdæ, & obturantis aures ſuas, quæ non exaudiet vocem incantantium, & venefici incantantis ſapienter.* ubi D. Auguſtinus ſic inquit: *Sentiens carminibus incantatorum captum ſe iri, ne ea exaudiat ſerpens, alteram aurem terræ, vel petræ admovet, atque apprimit, alteram verò caudâ obturat.* Et Hieremias cap. 8. *Ecce ego mittam vobis ſerpentes Regulos, quibus non eſt incantatio.* ut ergo inſidiatoribus obviam eamus prudenter noſmet gerere oportet; ut verò nullum in laqueos inſidiarũ ſubdolè inducamus ſimplices eſſe decet. Ita divus Thomas in loci illius explicatione. *Vult*, ait, *eos*

habere

habere prudentiam ſerpentis: prudentia ſerpentis in hoc conſiſtit, quod ſemper vult defendere caput. D. Paulus ad Romanos cap. 16. nu. 19. *Volo vos ſapientes eſſe in bono, & ſimplices in malo*, ubi idem nominis ἀκέραιος, id eſt, *ſine cornu*, legitur, ſicut apud D. Matthæum. Quæ Epigrammatarius Poëta conjunxit bellè, in illo pulcherrimo epigrammate 47. lib. 10. de vita beata.

Prudens ſimplicitas ——

Hinc puto eſſe ortum ut angues in caduceo Mercurij impliciti fingantur. nam Mercurius dicebatur Interpres Divûm, & Græcè vocatur ἑρμῆς, Interpres, ſummus Orator, cujus munus ut teſtantur, Cicero & Quinctilianus, vel præcipuum eſt, INSINVATIO, quæ ad conciliationem valet, & animis auditorum ſurripit. Græcis eſt παρείσδυσις, quod nomen à ſerpentibus metaphoricè ducitur. Nihil enim magis ſe inſinuat, quàm ſerpens. *Igitur non* dubium eſt, quin ſerpens ante Adæ peccatum præ ceteris animalibus fuerit in delitijs primis hominibus. hoc patet acriter intuenti ſignificationem verbi φρονέω, & illa verba: *Sed ſerpens erat callidior cunctis animantibus terræ.* Qui namque callidiores ijs, qui è ſua propria domu. Quoſcumque urbané expellunt: & illa, quæ multo pretio parantur Dominis; ſibi ipſis deſervire gratìs, faciunt: *Callere*, teſte Nonio, *eſt ſcire calliditate, quæ eſt* VRBANA SCIENTIA. Huc ſcitè Cicero

in

in *Lælio* ad finem. *Apertè*, inquit, *adulantem nemo non videt, niſi qui ad modum eſt excors, callidus verò, & occultus ne ſe* INSINUET, *ſtudioſè cavendum eſt*, quaſi dicat ex eâdem officina CALLIDITATEM, & Callidi INSINUATIONEM eſſe. Inimicitiæ autem inter ſerpentem, & hominem denunciatæ nō fuêre antequam ſerpens Evam adoriretur, ut patet ex illis verbis ejuſdem cap. 3. nu. 15. *Inimicitias ponam inter te, & mulierem; & ſemen tuum, & ſemen illius.* Nam ſi antea ſerpens inſidiabatur hominibus, quid maledictionis nota, quam ei inuſſerat Deus, operaretur? Ex quibus facilè adducor Evam luſitare ſolitam fuiſſe cum eo, ſinus ornare, atque collum, & brachia. Cui opinioni aſſentiri videtur Flavius Ioſephus lib. 1. Antiq. Iudaic. cap. 2. qui per idem tempus inquit nullum fuiſſe inter animalia diſsidium, & ſerpentem familiariter cum Adamo & uxore ejus degiſſe, Græcè ὄφις συνδιαιτώμενος τῷ τε ἀδάμῳ καὶ τῇ γυναικὶ. & D. Baſilius in Homilia de Paradiſo. *Serpens*, inquit, *tunc non erat horrendus homini, ſed mitis, & manſuetus: nec terribiliter in telluris ſuperficie, veluti natans reptabat; ſed ſublimis, & erectus, pedibuſq; inſiſtens ingrediebatur.* Sanctus quoque Damaſcenus lib. 2. de Fide orthodoxa, cap. 10. *Serpens plus cæteris animalibus familiaris erat homini, ipſum frequenter accedens, atque placidè motibus corporis blandiens.* Procopius Gazæus idem.

Cõſentaneum itaque rationi videtur, ut diabolus mulierem ſeducturus formam animantis familiarioris, & magis domeſtici ſumeret; ne videlicet Eva inſolitam formam exhorreſceret, ut D. Damaſcenus ubi s. his verbis docuit: *Vnde per ipſum* [ſerpentem] *Princeps mali Diabolus primis noſtris Parentibus impictatis ſuæ venenum inſtillavit.* Præterquam, ut tradit D. Chryſoſtomus Hom. 16. in Geneſ. ante peccatum, & in illo ſtatu innocentię omnia animalia placidè, atque obedienter erant homini ſubjecta; & ſicut nihil mali poterant inferre homini; ita nec timorem, aut horrorem ullum. Diabolus præterea ut Evam falleret, non indigebat calliditate, aut prudentia alicujus animalis: eadem enim verba dicere poſſet, per leonem, aut cervum; vel, ſi magis id ſpectaret, per vulpem, quę ſuperat vafritie cætera animalia. Cujus veritatis vis, & verbi φρονέα non intellecta ſignificatio induxit Cajetanum in illam opinionem, ne dicam errorem, in comment. ad Geneſim, videlicet Deũ non de vero ſerpente fuiſſe loquutum; imò myſticè id intelligi debere, tropologico aut figurato ſenſu; dum inquit: *Poſtea hîc traditur ſerpentem callidiorem fuiſſe cunctis animantibus terræ. Quod de vero ſerpente, ſi fides habeatur Philoſophis, qui naturas & proprietates animalium ſcrutati ſunt, falſum eſſe conſtat.* Quæ difficultas coëgit ſimulare noſtrum Ioannem Buſthamantium Camærenſem

in libello de *animantibus Sacræ Scripturæ*, ſerpentem vulpe callidiorem (ut communi ſenſu loquar, & triviali acceptione vocabuli) eſſe, & ideo omnibus animalibus; vulpes enim cunctis præter ſerpentem callidior eſt, cui aſſertioni auctorem dat Ariſtotelem lib. 9 *Hiſtoriæ animalium* cap. 5. ſed falſò, is equidem auctoritatem defugit, & docet ſolùm vulpem cum ſerpente amicè vivere, quia ambo cavernis gaudent. Et Plutarchus, quem ego addo in lib. de *Sollertia animalium* ad finem ex eodem Ariſtotele refert, vulpium & ſerpentum amicitias indè gigni, quia communem inimicum habent aquilam. Non elegit igitur prudentiorem beſtiam, ſed callidiorem, manſuetiorem ſcilicet & tractabiliorem magiſque domeſticam. Quis vel adeò ignavus eſt, ut neſciat quibus adoriatur artibus Diabolus ſanctos viros ſapientes, & prudentes, ut eos in laqueos inducat? non enim aſſumit formas horribiles, aut inſuetas; ſed nunc ſe in formoſam mulierem vertit, nunc in Heremitam ſeverum: & ſemper quærit quod magis gratum, ac probum exiſtimat, ex quo faciliùs imponere poſſit. His adſtipulatur Aquilæ verſio, καὶ ὄφις, inquit, ἦν πανοῦργος. propriè ſignificat πανοῦργος eum, qui omnibus in rebus verſatus eſt, qualis officioſus, & ardelio: & quia hujuſcemodi homines callidi eſſe ſolent, factum eſt ut accipiatur pro verſipelli, & fraudulento, ut Prover. cap. 12. nu. 16. κρύπτει δὲ τὴν

ἑαυτοῦ ἀτιμίαν ἀνὴρ πανοῦργος, id eſt, *abſcondit autem in honorationem ſuam vir aſtutus*, apud Iſocratem etiam πανουργία, *ſolertia*. Fortè ex illo tempore, quo in delitijs ſerpens erat Evæ; in noſtrum uſque murænulas ſolemus vocitare collaria fœminarũ, quæ fiunt ad ſimilitudinem ſerpentum, quæ monilia Græci ὄφεις appellant. Nicoſtratus Comicus apud Athenæum, ἁλύσεις, δακτυλίους, βουβάλια, ὄφεις, περισκελίδας, ἐλλέβορον, ubi nominat, *Torques, annulos, monilia, angues, periſcelidas, elleborum*, velut inſaniæ inſtrumentum. Et nunc in quibuſdam Inſulis certum eſt inveniri ſerpentes manſuetos, & ſine veneno; vel noxios contra quorum venenum ſe medicamentis venatores muniunt, quibus redimiti caput, & humeros domum revertuntur ita conſpicui, ac ſi plumas verſicolores in galeris geſtarent, quorum Paulus Iure Conſultus meminit in l. *In circulatores*. π. de *varijs & extraordinar. criminibus*, cujus verba ſunt. *In circulatores, qui ſerpentes circunferunt, & proponũt; ſi cui ob eorum metum damnum datum eſt, pro modo admiſſi actio dabitur.* Cornelius item Celſus de Re Medica lib. 5. cap. 27. *Nam venenum*, ait, *ſerpentis, ut quædam etjam venatoria venena, quibus Galli præcipuè utuntur non guſtu, ſed in vulnere nocent. Ideóque colubra ipſa tutò eſtur, ictuſq; ejus occidit, & ſi ſtupente ea (quod per quædam medicamenta circulatores faciunt) in os digitum quis indidit, nec percuſ-*

ſus eſt, nulla in eo ſaliva noxia eſt. Plutarchus etiam refert Herodis tempore ſerpentem fuiſſe, qui Hebræam quamdam pulcherrimam puellam efflictim deperibat, quem ſi vacas, adi, & delectaberis admirabili, ac pænè incredibili narratione.

Fullonia ars. Amphoræ propter vias ad urinam faciendam. Cretare. Durare. Expolire. quod apud D. Matthæum. Veſtimenta ejus candida ſicut nix, *& apud D. Marcum*: Qualia fullo ſuper terram non poteſt candida facere. ἐσϑῆτα λαμπρὰν. *Album. Candidum.* λδυκονοτόι βύσσινον λαμπρὸν, καὶ καθαρὸν. Albeſcente cœlo. *Paulus IC. illuſtratus.*

CAPVT II.

CRebrum uſum fullonum qui magnum quæſtum arte ſua faciebant, inventa à Nicia Megarenſi, ut autor eſt Plinius lib. 7. cap. 56 apud Romanos fuiſſe nemo eſt, qui dubitet. Creſcente namque luxuria, & effractis animorum viribus, mollitiei homines dediti, veſtibus illo ævo utebantur, non ſolùm naturali colore tinctis; ſed artificio ſummo, magnoque labore candefactis. Ad quod fullones operarios & diſcipulos habuiſſe teſtatur Vlpianus in l. *cuicumque.* 5. § *ſed & cum Fullo* π.

de *Inſtitoria actione:* & delicatiores habuiſſe ſervos, qui huic miniſterio inſervirent ex Iaboleni verbis in l. *qui habebat* 29. de *rebus dubiis* facilè convincitur. Vnde in Iure eorum frequens mentio. Abluebant ergo lotio veſtes, & cameli putabant urinam utiliſsimam, Plinius lib. 28. cap. 8. quos ad urinæ tractationem ſaltu fullonio, de quo Seneca Epiſt. *Mos antiquis* 25; tentari podagra negat Plinius lib. 28. cap. 6. cui rei amphoras, in quibus urina reddebatur, in angiportis collocabant, ut indicat Cajus Titius, vir ætatis Lucilianę, in oratione, qua Legem Fanniam ſuaſit, verba ſunt: *Dum mejunt nulla eſt in angiportu amphora, quam non impleant: quippe qui veſicam plenam vini habeant, veniunt in comitium triſtes, jubent dicere: quorum negotium eſt narrant. Judex teſtes poſcit, ipſus it mictum, vix præ vino ſuſtinet palpebras.* & apertè convincit Martialis lib. 12. ep. 48.

Quod ſciat infelix damnatæ ſpongia virgæ
Vel quicunque canis, junctaq; teſta viæ

& 93. lib. 6.

Tam malè Thais ſolet, quàm non fullonis avari
Teſta vetus, media ſed modò fracta via.

Hinc originem habuiſſe vectigal urinarium, quod primus Veſpaſianus indixit, ut ait Suetonius in ejus vita cap. 23, animadvertit Lipſius lib. 2. de admirandis cap. 6. qui ſua in bonis litteris doctrina non minorem laudem fortiſsimis noſtris Bel-

gis cumulavit; quam ſibi ipſi patria virtute, & aſſiduâ belli exercitatione pepererunt.

Semper honoratum (Muſæ voluiſtis) habebo.

Mox fullones incretabant veſtes permixto lotio. Titinnius apud Nonium:

— terra hæc eſt non aqua
Vbi tu ſolus argutarier pedibus
Cretam dum compeſcis veſtimenta lavas.

Pòſt verò durabant, quo Alfenus uſus eſt verbo, ex viri docti emendatione in l. *in navem Saufei* 31 π locati *ſicut cùm veſtimenta* (inquit) *Fulloni curanda* (lege duranda) *locarentur.* & Vlpianus in l. *itaque fullo* 12 π de *furtis* & imper. in § *& quæ ſuprà.* verſ. *qua de cauſſa.* de *locat. & conductione,* *Qua de cauſſa,* (ait) *ſi Fulloni polienda curandáve, aut ſarcinatori ſarcienda veſtimenta dederit.* ubi Theophilus vertit εἰ δὲ τις κναφεῖ κναφεύειν ἢ ῥάπτῃ ῥαπτεύειν ἐσθῆτα δέδωκε, id eſt, *quod ſi quis Fulloni poliendam, aut ſartori ſarciendam veſtem dederit,* qui abſque dubio *duranda* legit, nam κνάπτω verbo tantùm utitur, quod *polire* ſignificat & duratio prævia ad politionem. Quare poſt durationem expoliebant. hoc Plin. lib. 35. cap. 17. *deſquamari* vocat, & *pollire* Vlpianus in l. *item quæritur* 13. §. *Fullo.* π *locati.* ultimò veſtes in rugas eruditè plicabant, quo ſplendorem conciliarent, & ut magis niterent domi ſub prælis habebant. Martial. lib. 2. Epigr. 46.

Sic tua ſuppoſitis perlucent præla lacernis.
Seneca de Tranquillitate cap. 1. *Non ex arcula prolata veſtis, non ponderibus aut tormentis ſplendore cogentibus preſſa; ſed domeſtica, ac vilis.* Martialis iterum lib. 2. Epigr. 29. ubi, quod Seneca dixerat *tormẽtis ſplendere cogentibus* bellè expreſsit.

Et toga non tactas vincere juſſa nives.
Hoc opus, hunc laborem ingenioſa luxuria commenta eſt, ut album colorem, qui nativus, deſpicerent; ſplendentem verò, qui ab arte, ſuſpicerent & venerarentur. D. Marcus cap. 9. nu. 3. de his veſtibus καὶ τὰ ἱμάτια inquit, αὐτοῦ ἐγένετο στίλβοντα, λευκὰ λίαν ὡς χιών, οἷα γναφεὺς ἐπὶ τῆς γῆς οὐ δύναται λευκᾶναι vertit Interpres. *& veſtimenta ejus facta ſunt ſplendentia, candida nimis, velut nix: qualia fullo ſuper terram non poteſt candida facere.* D. verò Matthæus ex Theophilacto & ferè omnibus Græcis exemplaribus ſic ſcripſit cap. 17. num. 2. τὰ δὲ ἱμάτια αὐτοῦ ἐγένετο λευκὰ ὡς τὸ φῶς; *at veſtimenta ejus candida ſunt facta, ut lux.* ubi noſtrum Interpretem legiſſe conſtat ὡς χιών *ſicut nix.* quemadmodum legitur apud D. Marcum, cujus Interpretis lectionem calculo albo notandum cenſeo. ab auctoritate; quia D. Hilarius, & ferè omnes Patres ita legunt, inter quos Vulgatus, quem ex animo ſemper amplector; à ratione, nam aër ille incluſus in nive donec exeat, nobis talem alborem repræſentat; qualem oculis concipere valemus

aſpicientes

aſpicientes lucem: & ideo idem operatur comparatio mutuata vel à nive, vel à luce. Quod indicāt illa verba Marci στιλβόντα *coruſcantia* propriè *lucis* & λευκὰ *candida* propriè *nivis*. quæ de una eademque veſte. Quare appoſitiſsimè Albinovanus in Elegia de obitu Mœcenatis nivem purpuream dixit: --

Brachia purpureâ candidiora nive.

Cm enim proprium ſit purpuræ perlucere non incongruè nivem purpuream quaſi ſplendentem ſcripſit. Valerius Flaccus de ſale idem in lib. 4. Argonauticῶν & Horatius lib. 4. car. Od. 1. *olores purpureos* nominavit. Venerē etjam purpuream appellat. venuſtiſsimus Anacreō καὶ νύμφαι κυανώπιδες, πορφυρέη τε Ἀφροδίτη. & eodem epitheto capillos alibi inſignivit.

Ὑπὸ πορφυρέαισι χαίταις,
Ἐλεφαντίνον μέτωπον.

Quibus & Capillorū & Veneris pulchritudinem delirat. Ex his veſtem, quâ D. N. ab Herode indutus, albam fuiſſe affirmo, nam eam D. Lucas cap. 23. num. 11. *ſplendidam* nominat ἐσθῆτα λαμπράν. Dum enim Herodes eum illudere conatur præterquàm quod vellet faciens, non atratum illum, ut ullius reum criminis, ſed candida in veſte tanquam innocentem dimittit. Pari in cauſſa milites reperio, qui ludibrio habentes Dominum, chlamide tamen coccinea ſuperinduunt eum, ac regiis in-

ſignibus regem atteſtantur. Has diverſas veſtes confundit vir, & quidẽ doctus noſtro ævo, & λαμπρὰν interpretatur *coccineam ſplendidam*, ſecutus in hac re alium (vereor ne varam vibia.) Stat in contrarium *Communis Sanctorum Patrum doctrina, & Eccleſiæ traditio*, quam inniti video verbis iis vulgatæ editionis [*indutum veſte alba.*] Adeſt meus Hector, & Delrius eſt (cujus verba rettuli talem ſententiam meis concipere non auderem) in gloſſ. ad *Threnos* cap. 4. verſ. 7. poſt ea, quæ ipſe latiùs dixit in *Speculo Patientiæ*, ſive de *paſſione Domini.* lect. ſacra. 8. Licèt nec huic ipſi interim cedam neganti exemplum ullibi dari in Latio, in quo album vel cãdidum ſignificet alium colorem, vel alterius coloris ſplẽdorem. invenies enim, rarò tamen, *album* & *candidum* convenire luci; lucem verò purpuræ, ſi evidens ratio poſtulet, & verba indicent cohærentia. Primum ex Horatio lib. 3. Ode 7.

—— quem tibi candidi
Primò reſtituent Vere Favonii.

Candidos Favonios interpretor, non ut vulgò, *Jucundos*. Primò enim Vere frigidum ſpirant. neque ut noviſsimè Torrentius *Fauſtos*, ſed λευκονότος & ut ipſe Horatius lib. 1. Ode 7. *albos Notos*, qui nitidum æther & ſine fæce diem reddunt, detergúntque nubila cœlo. de λευκονότῳ Vitruvius l. 1. cap. 6. Vegetius lib. 4. de re militari cap. 38. & Auſonius

in Monoſyllabis,

Veli-voliq; maris Conſtrator Leuconotus libs.

Theophraſtus lib. de ventis περὶ ἀνέμων. Οἱ γὰρ ἤρεινοι νότοι καθαπερ ἐτησίαι τινές εἰσιν οὓς καλοῦσι λευκονότους. αἴθριοι γὰρ καὶ ἀσυννεφεῖς. Ab effectu λευκονότοι nuncupantur, purum namque; nitidum, & candidum; & candidum, purum vocatur. Rutilius Numatianus Itinerarij lib. 1.

Aptabam nitido pendula vela Noto.

ubi *nitidum* pro *albo*. Hinc Apocal. cap. 19. nu. 8. de ſponſa amicta βύσσινον λαμπρὸν καὶ καθαρόν, ubi Noſter vertit *byſſino ſplendenti & candido*: & Theophraſto περὶ σημείων ὑδάτων de ſignis aquarum καθαρὸς ἥλιος. Parmenides etiam πῦρ φῶς καθαρὸν ἐν οὐρανῷ. Præterea addo bonæ Latinitatis authores duos, Cæſarem lib. 1. de bello civili, qui *albente die* dixit, *pro ſplendenti*, fugatis jam tenebris, his verbis: *Cæſar exploratis regionibus albente cælo omnes copias caſtris educit*, & Hircium de bello Afric. *Cæſar una nocte conſumta id cælo albeſcente cùm proficiſci conaretur*. Paulus item I. C. in *L. Titius* 25. §. *Lucius Titius* π de liber. & poſthumis. *Lucius Titius*, inquit, *cùm ſuprema ſua ordinaret in civitate, & haberet neptem ex filia prægnantem rure agẽtem ſcripſit; id quod in utero haberet ex parte hæredem. Quæro, cùm ipſa die, qua Titius ordinaret teſtamentum in civitate hora diei ſexta; eodem die albeſcente cælo rure ſit enixa Mævia maſculum, an in-*

 ſtitutio

ſtitutio hæredis valeat, cum quo tempore ſcriberetur teſtamentum jam editus eſſet partus. At verò quod purpura lucere, dicatur commune id, vel ex Cicerone 1. Catilinaria. *Qui nitent*, inquit, *unguentis, fulgent purpura.* Plenè & doctè de hac re Ludovicus de la Cerda in Virgil. *Georg. lib. 2. verſ. 503. n. 6.*

Decem menſibus homo editur. Decem menſium tempore coagulatus ſum. *Duplex Lunaris menſis. Decimeſtris, undecimeſtris partus. Iuſtinianus intellectus. M. Varro enodatus* Idem Accl quod Titl. *Alciati opinio rejecta. Hippocrates ſibi conciliatus. Apud Iureconſultos poſt decem menſes partus illegitimus. Seneca in controverſiis illuſtratus. Viduæ luctus tempus decem menſes Quare? Ovidio lux, ejus antiqua lectio aſſerta, De ſeptimeſtri partu. Ratio Pythagoræa. Paulus IC. cùm ſe ipſo in concordiam adductus. D. Ambroſius explicatus.*

CAPVT III.

ANtiquos Scriptores Græcos & Latinos, & inter illos, elegantiſsimos Poëtas ſæpe ſum admiratus, qui, velut eodem ludo docti, partum hominis

hominis decem menſibus confici eodem ore canunt. Quam quæſtionem facili negotio quidam ſolvunt dum nobis perſuadere conantur, novem menſibus hominem generari: ſed tamen non ita ad exactam rationem exigenda hæc, ut non intelligamus poſt novem exactos menſes aliquos dies accipi ex decimo; & ſic, per tropum ſynecdochen, pro toto accipi partem. Tamen illos nihil hæc ratio juverit nam Plautus in Ciſtellaria:

Ea peperit, inquit, *decimo exacto menſe.*

& Terentius Adelph. act. 3. ſcen. 5.

—— Virgo ex eo
Compreſſu gravida facta eſt:
Menſis hic decimus eſt.

Itaque ferè nunquam apud antiquos reppereris niſi decem menſes in partu connumerari. Quod apud Plautum ſæpe leges. unde Virgil. in Buccolicis Eclog 4. verſ. 61.

Matri longa decem tulerunt faſtidia menſes.

quo in loco digladiantur Grammatici *Tulerunt* media brevi, an *tulerint* legendum? Ego *tulerint* retineo, ſed alio ſenſu, quàm ipſi putant, id eſt; Ride ô puer matri, nam ſic auferes faſtidium decem menſium matri tuæ. Sed quod magis mirandum eſt, Sacræ litteræ hoc etiam more loquuntur, nam Sapientiæ cap. 7. num. 2. Sic legimus: *In ventre matris figuratus ſum caro, decem menſium tempore coagulatus ſum in ſanguine.*

 Quid

Quid ergo dicendum? Anne olim mulieres decẽ menſes geſtabant uterum, & novem noſtro tempore geſtant? Non credo. Sed ſemper eodem tenore geſtaſſe: ratio verò numerandi hanc differentiam conſtituiſſe videtur. Olim multò ante Iulium Cæſarem menſes cum Lunari curſu incipiebant, & finiebantur. unde etiam menſes dicuntur à μήνη, id eſt, *Luna*, & ita Heſiodus in libello, qui inſcribitur ἡμέραι. *Dies*. (ſcio jungi cum pręcedenti ἔργων à Criticis) ſæpe dicit aliquid fieri debere *tertia Luna, decima Luna, quinta decima Luna*, id eſt; tertio, decimo, vel decimo-quinto die. Luna enim antiquis pro die ſumebatur, præcipuè apud Græcos, qui annũ totum ad rationem Lunæ ſubduxere, alioſque menſes præter Lunares minimè habuerunt. Eaque re menſes minores noſtris erant, nondum ſcilicet reducto in eam formam anno, qua nunc uſui nobis eſt. Quæ, ut pateant, & aliquot Iureconſultorum reſponſa illuſtrentur, ſpicilegij vice poſt meſſem copioſam à tot magnis viris falce Calenâ lectam, ſequentia libuit decerpere. Menſis Lunaris duplex; Civilis, & verè Lunaris. Ille conſtat ex diebus vigintinovem, & horis propemodum tredecim: tot enim dies ſunt inter unum & alterum Lunæ cum Sole congreſſum. Hîc verò definitur Lunæ à Zodiaci puncto in idem punctum profectione & reditu. In quam viam Luna viginti & ſeptem dies cum ho-

ris octo inſumit. Hunc, vel illum menſem antiqui, prout libuit, in partione obſervabant. unde Gordius ſæpe nodus in veterum authorum verbis interpretandis; & hinc ſolutio. Qui enim dicunt in exacto menſe emergere vitales partus, ut Plautus, de menſe verè Lunari intelligunt: Nam ex doctrina Hippocratis lib. περὶ ὀκταμήνου *de partu octimeſtri*, in ſepties quadragenas dierum partionem fieri conſtat. οἱ δὲ *inquit*, δεκάμηνοι τῶν τόκων καὶ ἑνδεκάμηνοι, ἐκ τῶν ἑπτὰ τεσσαρακοντάδων τὸν αὐτὸν τρόπον γίνονται, id eſt, *decimeſtres & undecimeſtres partus ſeptem quadragenariis eodem modo eduntur*. Quæ quadragenæ continent ducẽtos & octoginta dies. Qui dies ſeptem diebus excedunt ducentos ſeptuaginta & tres; qui ultimi conficiunt decem mẽſes verè Lunares, minùs verò quinque horis & decem minutis. Vnde qui dixit *Exacto menſe decimo fœtus edi*; undecimeſtrem etiam partum agnoſcit. Nam 280. dies, quamvis non longè abſint à decimo menſe: jam pars ſunt undecimi. Rem prorſus explanat totam Ariſtoteles lib. 7. de *hiſtoria animalium*, cap. 4. ubi, poſtquàm ſcripſit unum pariendi tempus à natura ſtatutum omnibus animalibus; homini verò multiplex datum, ſubjungit: ἔνιαι δ' ἐπιλαμβάνουσι καὶ τοῦ ἑνδεκάτου μηνός. id eſt; *nonnullæ* [mulieres] *etjam undecimum menſem tangunt*. Quare Marcus Varro, relatus à Gellio. li. 3. Noct. Atticarum cap. 16. in Satyra illa, cujus epigraphe,

graphe, *Teſtamentum*, Eodem Iure eſſe ait innatos intra decem menſes (loquitur Varro more Iureconſultorum, qui, ut infrà dicemus, menſes civiles in ſupputando obſervabant. (vel in undecimo menſe κατ' Ἀριστότελην: nam Ariſtoteles menſes Lunares deſignabat. verba Varronis ſunt: *Si quis mihi filius unus, pluresve in decem menſibus gignuntur; hi ſi erunt* ὄνοι λύρας, *exhæredes ſunto. Quod ſi quis undecimo menſe* κατ' Ἀριστοτέλην *natus eſt. Actio idem quod Titio jus eſto apud me.* Quod proverbium, *Idem AccI, quod TitI*, dici ſolitum de rebus inter ſe nihil diſtantibus. Ideoque utitur eodem Varro, ut partum intra decem menſes civiles editum; & illum qui undecimo edebatur menſe, ſecundùm Ariſtotelis ſententiam idem eſſe ſignificet. Ariſtoteles verò docet fœtum, incepto undecimo menſe, non autem adimpleto, poſſe in lucem emitti. Decrevit idem Hadrianus teſte Gellio ubi ſuprà, dum partum *in* XI. editum *menſe*, id eſt, *intra* XI *menſem*, quo patri ſuccederet pronunciavit legitimum. cui ſubſcribit Iuſtinian. Impetor in Auth. de *reſtitutionibus, & ea quæ peperit in* XI *menſe*, &c. collat. 4. cap. 2. ubi cadere ait ante nuptiali donatione fœminam, quæ poſt mortem viri, undecimo completo menſe, peperit: quaſi marito mortuo poſtea concepiſſet. *Nondum enim* (audi Imperatorem) *completo anno, undecimo menſe perfecto*, [nota *menſe perfecto*] *peperit, ut non eſſet poſſibile*

bile dicere quia de defuncto fuiſſet partus. Ex quibus quàm malè habitus acceptuſque fuerit, vel à pleriſque doctis, Iuſtiniani locus, Ariſtotelis, Varronis, & Auli-Gellii, perpendat LECTOR. Quorum authorum verba Alciati aciem ita præſtrinxerunt, ut lib. 3. Paradox. cap. 7. cogatur fateri decretum Imp. Iuſtiniani ſummo rigore, ne dicat injuſtè, ſtabilitum fuiſſe. De Lunari etjam menſe intellexiſſe Virgilium ajo, & omnes, qui decimo menſe fœtus in lucem exire ſcribunt: qui menſis decimus cum nono Solari coincidit. Sic: Menſis Solaris dicitur illud ſpatium temporis, quo Sol in uno quoque ſigno Zodiaci circumfertur, quæ quoniam ſunt duodecim, menſes quoque duodecim in anno enumerantur. Hujus anni dimidium diebus cētum & octoginta duobus, horiſque quindecim conſtat, cui dimidio anni ſi ipſius dimidii dimidiam adjungas partem videlicet 91 dies conſurgent. 273. cum aliquot horis: Ex quibus diebus novem menſes ſolares conflantur; eodem pacto, ſi dies menſis verè Lunaris decies multiplices, repperies totidem dies & horas octo. Conveniunt igitur decem Lunæ menſes, qui vulgo *peragrationis* dicuntur, & novem Solares. Ex his lucem do verbis lib. 2. Machab. cap. 7. num. 7. ubi ſic legitur: *Fili mi miſerere mei, quæ te in utero novē menſibus portavi*, id eſt, *Solaribus*. Qui iidem, ac decem menſes verè Lunares, in quorum uno quoque,

Luna Zodiacum demetitur. De quibus verè Lunaribus menſibus intelligendus eſt ſupra laudatus ſapientiæ locus: nec ex Gothico corrigendus, ut manifeſto errore docent aliqui. Alii verò, inter quos principem locum omnes Græci obtinent, & Iureconſulti ex iis, Lunæ circuitus numerabant ab uno uſque ad alterum Lunæ cùm Sole congreſſum. Ex eorum opinione fœtus qui poſt decimum menſem affectabat, & membranas quibus concludebatur dirumpebat, minimè erat legitimus: Excedebat enim dies undecimeſtris partus juxta Hippocratis ſententiam. Nam undecimeſtris partus eſt, ut jam dixi ex libello περὶ ὀκταμήνου 280 dierum, quæ & in tutrina Hermetis Triſmagiſti dicitur major mora fœtus in utero. Decem autem menſes Civiles ducentos nonaginta & quinque dies habent. Nec poteſt quiſpiam inficias ire ex eo, quod idem Hippocrates libello περὶ σαρκῶν. de *carnibus*, dicat novem menſibus & diebus decem fœtum in lucem edi vitalem; quippe qui legitimum hebdomadarum numerum adimpleverit: quattuor ſcilicet Decades hebdomadarum, quæ continent dies 280; Sicque partum decimeſtrem & undecimeſtrem, hac ductâ computatione, 280 dies, & 295 excedere: Quia reſpondeo hujus diverſitatis cauſſam ad diverſos Lunæ menſes referri oportere: Nam

in

in dict. libello περὶ ὀκταμήνου Hippocrates reſpexit ad menſes verè Lunares. Quam ſuppetandi rationem obſervat, vt aſſerat ſecundùm communem naſcendi terminum decimeſtrem & undecimeſtrem fœtum vitalem eſſe. In libello περὶ σαρκῶν menſes propriè civiles intellexit, quâ attentâ numerandi ratione, nec decimeſtris, nec undecimeſtris partus vitalis erat. Hinc Iureconſulti partum poſt decimum menſem, nuncupant illegitimum.

Vlpianus in l. *inteſtato liberto* 3. §. *poſt decem* 11. π. de ſuis & legitimis hæredibus. *Poſt decem*, inquit, *mortis, natus non admittetur ad legitimam hæreditatem*. intellexit enim menſes propriè Civiles. Eadem fideliâ dealbare videor textum Scævolæ in *L. Gallus Aquilius*, in pr. 29. π de liberis & poſthumis. *Si filius*, ait Scævola, *me vivo morietur; tunc ſi quis mihi ex eo nepos, ſive quæ neptis poſt mortem meam in decem menſibus proximis, quibus filius meus morietur, natus, nata erit, hæredes ſunto.* Vides avum profiteri legitimum partum, qui intra decem menſes natus: poſt id verò temporis tanquam illegitimum à ſucceſsione arcere. Huc adducenda à Iuſtiniano verba relata in l. *Quidam cùm teſtamentum.* 4. C. de Poſthumis hæredibus inſtit. *Si filius, vel filia intrà decem*

 menſium

menſium ſpatium poſt mortem meam editi fuerint, hæredes ſunto. Hoc idem ex Iure conſultorum ſententia Seneca innuit Controv. 23. illis verbis, uſque adhuc (quod ſciam) à nemine intellectis, tentatâ licèt à multis, re. *ubi eſtis, qui dicitis nihil intereſt tua. Confitere, confitere: quia honeſtius putaſti raptori nubere. Sit, inquit, mihi hæres, ſi quis intra decem menſes natus fuerit, nunquid negat? Surge adoleſcẽs. dic: Rapui, vitiavi, incipe ſcire quod neſcis; miraris ſi tibi non credit? multum eſt de quo timet.* Ovidius narrat *lib.* 1. *Faſto.* decem menſes à Romulo, primùm conſtitutos qui integrum annum,

Tempora digereret cùm conditor urbis, in anno
Conſtituit menſes quinque bis eſſe ſuo.

& de Aeolis teſtãtur idem fuiſſe Homeri tempore Græci veteres Scriptores. ad eamq́ue rem utuntur teſtimonio ipſius Homer *lib.* 11. *Ody ſ. verſ.* 248. ubi Neptunus Nimpham à ſe compreſſam ita alloquitur:

χαῖρε γυνὰι φιλότητι, περὶ πλομβύοδ᾽ ἐνιαυ τοῦ
τέξεις ἀγαλαὰ τέκνα. id eſt

Gaude mulier in amicitia, circumvoluto autẽ anno
Paries pulchros liberos.

Hos fuiſſe Civiles interpretor ex eo, quod fœtus intra totidem menſes edebatur. Quare idem temporis ſpatium luctus viduæ; ne ſcilicet incerta eſſet proles. Auth. *ut licet matri, & aria.* §. 4. C. de *repudiis* aut confunderetur ſanguis.

Idem

Idem Ovidius ubi ſuprà:

Eſt tamen & ratio, Cæſar, quæ moverat illum
Erroremq́ ſuum, quo tueatur, habet.
Quod ſatis eſt utero matris dum prodeat infans
Hoc anno ſtatuit temporis eſſe ſatis.
Per totidem menſes à funere conjugis uxor
Suſtinet in vidua, triſtia ſigna, domo.

Seneca de menſiũ numero in conſolat. ad Helviã ca. 16. *Ideo majores decẽ menſium ſpatium lugẽtibus dederunt.* De ſanguinis turbatione Vlpi. 16. in l. *liberorum.* 11. §. 1. π. de his qui notãtur infamiâ, ubi Accurſius doctè addit aliam rationem, ex dict. Auth. de reſtitutionibus, *Nequa*, ait Imperator Iuſtin. *praextiterit ſuſpicionis malignæ cauſſa ad ſecundum maritum, eò quòd ad ſecundas nuptias feſtinaverit.* Venuſtè Martialis inſurgat, qui Proculinam arguat *non nubere*, ſed *fateri.* epig. 22. lib. 6. ad quem locum Alex. ab Alex. lib. 4. Genil. cap. 1. Et Seneca lib. 3. de benef. cap. 16. *Suos annos computare non Conſolum, ſed maritorum numero.* Civiles Lunares menſes expreſsit bellè ad rem in Epiſtola Canaces ad Macareum Ovidius ipſe:

Ah nimium vivax admotis reſtitit infans
Artibus, & tectus tutus ab hoſte fuit.
Jam novies erat orta ſoror pulcherrima Phœbi,
Denaq́ luciferos Luna vehebat (lege *premebat*) *equos.*

id eſt, jam erat nonus civilis menſis, & inſtabat

Luna decima: *premebat* enim equos Solis, cum quo jam plena congreſſura erat; quando Canacem partus dolor edere cogebat gemitus. Boetius de conſolatione lib. 2. metro. 3. pag. 28.
In eadem notione verbo promendi uſus eſt.


Pallet albentes hebetata vultus
Flammis ſtella *prementibus.*

Denique in ſeptimeſtri partu eadem erat ineunda ſupputatio, ut menſes eſſent propriè Civiles. Hippocrates quidem in initio libelli περὶ ἑπταμήνου *de ſeptimeſtri partu*, ait, fœtus ſeptimeſtres naſci centeſimo octogeſimo ſecundo die, addita aliqua particula: Quod idem ipſe ſe explicans, alio tamen modo deſcripſit lib. περὶ ἑπταμήνου, his verbis, καὶ ἐκ τοῦ ἡμίσεως τοῦ ἐνιαυτοῦ οἱ ἑπτάμηνοι [γίνονται] *& ſeptimeſtres dimidia anni parte naſcuntur.* Dimidia verò anni ſolaris pars conſtat centum octoginta duobus diebus, & horis quindecim, quas horas per προσθέτου μορίου ſignificavit d. lib. περὶ ἑπταμήνου. Ergo non immeritò poterit ſeptimeſtris appellari, qui intrà hoc dierum ſpatium natus fuerit: nam 177. dies ſex civiles menſes componunt, & quinque dies, qui ſuperſunt, cùm aliquot horis jam ſeptimi menſis ſunt. Vlpianus Hippocratis authoritati refert in d. l. 3. §. ult. Eum, qui 182 die natus eſt, juſto tempore videri natum, & Paulus tot dierum ſpatium ſeptimum menſem appellat in l. *Septimo menſe* 11. π. de ſtat. homin. *Septimo*, inquit, *menſe naſci perfectum*

ctum partum jam receptum eſt propter auctoritatem doctiſsimi viri Hippocratis, & ideo credendum eſt eum, qui ex juſtis nuptiis ſeptimo menſe natus eſt, juſtum filium eſſe. At aliqui inſurgent reclamantes Paulum ſic interpretatum ſibimet reddi cõtrarium; quia lib. 4. ſent. tit. 9. ad *Senatus conſultum Tertull.* §. 5. ait maturum partum videri, pleno tamẽ ſeptimo menſe, matrique prodeſſe. Ergo non incepto. Quibus ut obviam eas ſcire oportet, Paulum in d. lib. ſentent. ſecundùm Pythagoræ dogma locutum, ut ipſe teſtatur illis verbis: *Ratio enim Pythagorai numeri hoc videtur admittere.* Pythagoræum appellat numerum ſeptenarium, ex ſeptenario autem dierum vitam hominis conſtare ſcripſit Hippocrates libello περὶ σαρκῶν, & ſubjungit; legitimum partum eſſe ſeptem menſiũ, propterea quod, is numerus τρεῖς δεκάδας ἑβδομάδων contineat, ex quibus 210 dies conflantur, qui ſeptem menſes Civiles complent, demtis tribus diebus cum dimidio, quod parum refert. Non enim tam exactè menſes numerari præcipit Hyppocrates, ut libro περὶ τροφῆς de alimento tradidit, de cujus numeri ſeptenarii vi Gel. l. 3. noct. Act. c. 10. & Cicero in Scipionis ſomnio aſſerit rerum omnium ferè nodum eſſe. Hanc interpretationem albo calculo ſignare videtur D. Ambroſius Epiſtola 39 ad Horontianum dum inquit: *Bonus ſeptimus numerus, quem non Pythagorico, & cæterorum*

rum Philoſophorum more tractamus; ſed ſecundùm formam, & diviſionem gratiæ ſpiritualis. Et paucis interjectis. *Quantum iſtud miraculi; quòd ſeptimo menſe in pleriſque origo legitima formatur, & qui fuerit editus, vitalis generationis curricula ſortitur*. Aliam etiam viam, quam inſtare poteris Pythagorici ex ipſius Arithmeticæ adytis talem demonſtrarunt, & ego munire videor. Conſtituebant Triangulum ſcalenum, hoc eſt, tribus lineis inæqualibus A. B. C. cujus latus B. C. erat unitatum 4. Latus. A. B. unitatum 5. latus A. C. unitatum. 3. Multiplicentur 4. per 5. fient. 20. Et. 3. per. 5. Fient 15. junge; erunt 35. Hæc per medium ambitus Trianguli multiplicata, hoc eſt, per 6. conſurgent 210. quæ ſeptem menſes complent, demtis eiſdem, quos dixi, tribus diebus cum dimidio. Et quia ex diſciplina Pythagoricorum 3. & 5. ſunt Maſculi, uti impares 4. fœmina, uti par; ſic docet Plutarchus in *Quæſtionibus Romanis* circa finem. & de *Animæ procreatione* in principio Macrobius lib. 1. *in ſomnium Scipionis* cap. 5. in hujuſmodi ſeptimo menſe numeri dierum notantur, ex quibus conflantur ſeptem menſes, per naturalem cōjunctionem Maſculi, & Fœminæ, quæ. 5. 4. & 3. numeris ſignificatur. Vnde eum, qui tali ſeptimo menſe edebatur in lucem, vitalem eſſe dicebant. Triangulum ſic expreſsi.

Hæc



Hæc pro auctario ſunto. At tu vide his Cerdam ad Virgil. eclog. 4. ex A. Gellio lib. 3. cap. 16. Et noviſsimè Ioannem de Pineda è Societate Ieſu Presbyterum *lib.* 1. *de rebus Salomonis cap.* 8. Hiſpalenſis Academiæ decus.

Mos circumcidendi à Iudeis. Aegyptii ab iſtis ſuſceperunt. Herodotus & Ioſephus reprehenſi. Cultri lapidei ad circumciſionem. Id apud varias Nationes. Joſue explicatus. Samia teſta. Juvenalis emendatus Quid TSVR? Adjutorium gladii *Samium. Samiare. Samiator. Samiata arma.*

CAPVT IV.

MOrem circumcidendi duxiſſe originem à pacto, quod fecit Deus cum Abrahamo cap. 17. num. 10. Geneſ. & verba apertè demonſtrant, & ex iis multorum authorum teſtimonia maniſeſtè probant. In ſignum namque fœderis inter ſe & Abrahamum Deus præcepit Circumciſionem. Vnde Herodotum de mendo convinces, qui lib. 2. Hiſt. Iudæos affirmat ab Ægyptiis


ſuſcepiſſe circumcidendi religionem his verbis, ex interpretatione Heresbachii. *Præterea quòd ſoli omnium Colchi, & Aegyptii, & Aethiopes ab initio ſtatim pudenda circumcidunt. Nam & Phœnices & Sirÿ qui ſunt in Palæſtina didiciſſe id ab Aegyptiis, & id confitentur ipſi.* Cùm, antequam impoſitum fuiſſet Abrâhæ hoc præceptum à Deo, id cuſtodiri ab ulla Gente; etſi diligenter evolvas annalium volumina, nequaquam invenies. Quod ſi inveneris, indignum fide judicabis: Cùm ſtet contra inviolabile Sanctorum Bibliorum teſtimonium, quam veritatem Strabo, etſi ut Ethnicus involucro fœdiſsimi mendacii conſpurcavit lib. 16. dum ait, ex ſuperſtitione Circumciſiones inſtitutas à Iudæis; nobis tamen, qui purè eam amplectimur, teſtatam reliquit. Herodoti verò rejiciendam opinionem ſequi videtur Ioſephus, qui lib. 1. contra Appionẽ, Herodoti locum jam à me citatum referens, nullo de Circumciſione addito verbo, ſic ſcripſit, ex interpretatione antiqua. Igitur *Syros Palæſtinæ incolas dixit circumcidi: atqui incolarum Palæſtinæ ſoli Iudæi, id faciunt, id quod ille intelligens de eis dixit*, quaſi tacitè innuens ſe in Herodoti ſententiam manibus pedibuſque ire: præſertim cùm in c.3. lib. 1. *antiquit.* polliceatur ſe acturum alibi de circumciſionis cauſſa; & in toto volumine, ſi bène memini, fidem niſi in hoc lib. 1. contra Appionem perſolvit. Tacitus item apud

Iudæos primò circumciſionem religioſè obſervatam, lib.5. Hiſt. in princ. vera falſis miſcens, (loquacisſimus mendaciorum à Tertulliano meritò vocatur) his verbis dixit: *Circumcidere genitalia inſtituère, ut diverſitate noſcantur.* Vſum autem Circuncisionis fluxiſſe ab Hebræis ad Ægyptios facilè & cum ratione perſuaſum habebit is, qui ſciverit tot annis apud eos fuiſſe extorres. Circumciſionem, ita religioſè proſequebantur, ut ipſorum Sacerdotes eam ſummo ſtudio curarent: atque Cynocephalum in ſacris alebant, quia is circumciſus gignitur, teſte Oro Apolline Niliaco in Hieroglyphicis; & ut refert Herodotus dicto lib.2. non ſolùm virilia circumcidebant, ſed etiam uno quoque die totum radebant corpus. & Origenes lib. 2. in Epiſt. Pauli ad Romanos neminem fuiſſe poſſe affirmat apud Ægyptios Sacerdotem, neque aruſpicem, nec, ut illi appellabant, *Prophetam*, niſi antea Circumciſione quaſi purgatus atque initiatus eſſet. Hanc ergo Circumciſionem cultris lapideis è ſilice vel alio ſaxo factam antiquitùs, ſacrarum litterarum teſtimonio fuiſſe obſervo. Ioſuæ cap 5.n.2. ubi fuit juſſus à Deo circūciſionem publicè celebrare omnium, qui uſque in illam diem per totum iter non fuerant circumciſi: illis verbis[*Fac tibi cultros lapideos, & circumcide ſecundò filios Iſraël*] Scio virū noſtræ ætatis doctiſſimum, & antiquis præferendum, *lapideos cultros*

acutè interpretari, *quàm primùm ex cote ſublatos*, quod LXX legunt ποίησον βεαυτῷ μαχαίρας ἐκ πέτρας ἀκροτόμου, id eſt, *facito tibi cultros ex petra dura*, ad ſimilitudinem locutionis Hiſpanæ, quâ dici, ait ſolitum : *navaja quitada de la piedra*, tamen illa verba ἐκ πέτρας ἀκροτόμου, ſic accipienda puto, ut illa, quæ numero ſequenti iidem interpretes ſcripſêre. μαχαίρας πετρίνας ἀκροτόμου, id eſt, *cultros lapideos acutos*. præterquam in exemplari Complutenſi utrobique eadem verba μαχαίρας πετρίνας leguntur : & in editione juſſu Sixti V. Pont. Max. Romæ excuſa anno M. DLXXVII, & in quodam exemplari Græco Baſileæ, anno M. DXLV. μαχαίρας πετρίνας ἐκ πέτρας ἀκροτόμου ſcriptum eſt n. 2. quo videas nulla cum ratione defendi poſſe hanc viri docti opinionem. Accedit his D. Auguſtini teſtimonium & interpretatio lib. 6. quæſt. ſuper Ioſuæ. to. 4. his verbis : *Dixit Dominus*, inquit, *ad* IESVM. *Fac tibi ipſi cultros de petra acutos; vel, ſicut habet Græcus, de petra acuta*, Et paulò inferiùs. *Dicit enim Scriptura. Et fecit* IESVS *cultros petrinos ſibi ipſi acutos*; & Sanctus Cyprianus lib. I. teſt. *Fac tibi cultellos petrinos nimis acutos*, atque etjam in exemplari Complutenſi deſunt illa verba; ἐκ πέτρας ἀκροτόμου, & inveniuntur illa; μαχαίρας πετρίνας: ut apertiùs conſtet illos cultros è petra factos fuiſſe, non verò ferreos & procuſos cote; & ut verba ἐκ πέτρας ἀκροτόμου, ubi leguntur,

inter-

interpreteris ſic: *cultros lapideos ex lapide acutiſſimo*. Cultros namque ſaxeos, vel ſiliceos ad Circumciſionem aptos Rabbinos ſcripſiſſe invenio, & Moſem Maimonium optimum apud Iudæos Doctorem opinari ex duris ſilicibus gladios feciſſe Ioſuæ. Quod etiam experientia nos docent Occidentalis terræ incolæ, qui ad circumciſionem, & in venis ſecandis ad ſanguinis miſsionem, etſi nunc apud eos magna copia ferri, expoliunt ſilices: Quales D. Ioannes Baptiſta Lavanna Eques militiæ nomine CHRISTI Servatoris noſtri inſignitæ, Archicoſmographus Regius, vir ingenita nobilitate, nobili ingenuitate, variâ rerum cognitione & litterarum omnium ſplendore ornatus ac illuſtris, inter ſua antiquitatum monimenta ſervat. Qui ad Circumciſionem, major eo, qui ad miſsionem ſanguinis; duplici acumine: hic cuſpide acuta: ille obtuſa, utriuſque altera facies convexa, altera concava. Quos, ne te antiquitatis lenocio fraudarem, exprimendos curavi.



& in regione, quæ vocatur *Caphraria*, juxta caput *Bonæ ſpei.* vulgò dicimus, *Cabo de buena Eſperanza.* eſſe Æthiopes, qui gladiis ſiliceis ſe circumcidunt, referunt Navigationis in illam regionem Scriptores; idemq́ue D. Ioannes Baptiſta Lavanna in libello cui titulum affixit *Naufragio da nao de S. Alberto, è Itinerario da gente, que delle ſe ſalvou.* Non ſolùm ad Circuncisionem, ut dictum eſt, ſed ad virilia amputanda cultros ſilicis, vel Samiam teſtam fuiſſe uſui authores profani prodidêre Catullus in Atty Epig. 64.

Devolvit ille acuto ſibi pondera ſilice,

Iuvenalis

Iuvenalis Sat. 6. verſ. 512.

Mollia qui raptâ ſecuit genitalia teſtâ.

ubi jam legi, *fracta*: nunc putarim retinendam antiquam lectionem, & confirmandam ex eo, quod tumidis Gallis enthea illa erat agitatio, ut ipſemet Catullus in dicto Epigrammate docuit.

Phrygium, inquit, *ut nemus citato cupidè pede tetigit*

&

Viridē citus adit Idam properante pede chorus

&

Rapidæ dominæ ſequuntur Gallæ propero pede.

Lucilius item lib. 7. Sat.

Hanc ubi vult malè habere ulciſci pro ſcelere ejus
Teſtam ſumit homo Samiam, ſibiq; illico telo
Præcidit caulem, teſteſq; una amputat ambo.

Minutius Felix in Octavio. *Quid*, inquit, *qui ſanguine ſuo libat, & vulneribus ſuis ſupplicat, non prophanus melius eſſet, quàm ſic religioſus? aut cui teſta ſunt obſcœna de meſſa, quomodo Deum violat, qui hoc modo placat?* Hoc de Gallis; qui Atys exemplo virilia ſibi amputabant, de quo Catulli locus ſuprà adductus, & Arnobius lib. 5. *Mammas ſibi demetit Galli filia pellicis, rapit Atys teſtulam, quam inſtigator ipſe geſtitabat inſaniæ: furiarum & ipſe jam plenus perbacchatus jactatus projicit ſe tandem, & ſub pini arbore genitalia ſibi deſecat dicens: Tibi Acdeſti hæc habe propter quæ motus tan-*

tos

tos furialium diſcriminum excitaſti: ubi duo obſerva: unum non abſque ratione legi apud Iuvenalem *rapta teſta* cùm Arnobius legat: *rapit Atys teſtulam*; Alterum: ideo referre Catullum Atys pondera abſciſſa fuiſſe ſilice; quia Samia teſta ob duritiem, ſilex, nuncupata. Tali inſtrumento abſciſio, ſalubris. Plin. lib. 35. cap. 12. *Samia teſta matris Deûm Sacerdotes, qui Galli vocantur, virilitatem amputant, nec aliter citra perniciē ſi M. Cæcilio credamus.* terra namque Samia, vel lapis Samius, proſunt ſanguinem expuentibus, oculorum ulceribus, & veteribus lachrymationibus; quippe, qui ſiccandi vim habeat. Id commune etjam omnibus lapidibus teſte Galeno lib. 9. *De ſimpl. med. facultate*, in lapide *Schiſto*. Quare emplaſtris, quæ ſiccandi cauſſa componuntur, meritò miſceri ait Plinius 35. cap. 16. & lib. 36. cap. 21. qui hæc omnia refert. Galenus item d. lib. 9. *de ſimpl. med. facul.* in *Terra Samia* ſcripſit probari vulneribus inflammationibus, ſanguinis expuitionibus undecunque ingruentibus: & propter ejus lentorē, & refrigerādi atque abſtergēdi virtutes, quibus pollet, non modò non exaſperare, verùm lenire, & ſummopere mitigare, & producendæ ulcerum carni & eorundem quæ in ſumma cute conſiſtunt cicatrici inducendæ mirificè conducere: præſertim teſtiū, uberum, atque adenum, quæ omnia in circumciſione, vel amputatione teſtium attendenda veniebant.

bant. At Galenus latè hæc omnia docet. Ex his intelliges verba Exodi cap. 4. num. 25. exactè & ad amuſsim à noſtro Interprete ſic tranſlata [*tulit illicò Sephora acutiſſimam petram, & circumcidit præputium filÿ ſui*, nam à voce TSUR, id eſt, *petra*, quæ ibi, eadem TSURIM, id eſt *petrarum*, legitur in d. c. 5. Ioſue, ubi Caldæus & Pagninus *acutos* reddunt. Dixit ergo Interpres *acutam petram*, ut indicaret eam, quæ ad Circumciſionem, acie valere. ψῆφος, id eſt, calculus, ſive ſilex in verſione Complutenſi. καὶ ſic legitur λαβοῦσα σεπφώρα ψῆφον περιέτεμε τὴν ἀκροβυστίαν τοῦ υἱοῦ αὐτῆς. Et D. Hieronymus explicat Epiſtola 143. de Sephora dicens. *calculo, id eſt, lapide duriſſimo, & omni duritate leniſſimo circuncidit.* Cujus vocabuli TSUR tranſlatitiâ ſignificatione utitur Rex David Pſal. 89. verſ. 43. *Avertiſti*, inquit, *petram gladii*, id eſt, *gladios petreos.* Viri enim ſanguinis pro viris ſanguinariis in ſacra Scriptura inueniri dicemus cap. 6. & cum David apponat vocem petræ, quæ, quia acutiſsima, ad Circumciſionem apta, & ex ea cultri erant, non incongruè dices *Petram gladii*, id eſt, *gladios ſaxeos*, & *acutos*. Primum jam patet. Secundum ex Nonio Marcello, qui, eandem explicans metaphoram, *Samium*, ait, *acutum. unde ſamiare dicimus acuere*. quamvis rationem ſignificationis plumbeam reddat, his verbis. *Quod in Samo hoc genus artis polleat*, cùm potiùs dicere deberet.

Quòd in Samo teſtæ ſunt acutiſſima. Eandem metaphoram elicies ex veteribus gloſsis ubi. *Samiator* ἰκονητὴς, &, ἀκονητὴς *Samiarius Cociarius. Acuciator*. item Σαμιάτωρ. *Cotiarius*. Mauritius σαμιάτωρας. τοξοποιοὺς, σαγιτοποιοὺς καὶ τοὺς λοιποὺς. & Σαμιοῦν. *Acuere, Subigere*. Cōſtantinus in Tacticis. σαγίται μετὰ κουκούρων, σπαθία ἠκονημένα καὶ σεζαμιωμένα. Flavius itidem Vopiſcus in Aureliano, referens exemplum Epiſtolæ Valeriani Auguſti Ceſonio Albino Præfecto vrbi miſſæ, ait, *Arma terra ſint, ferramenta ſamiata calceamenta fortia.* Auſonius etjam in Epiſt. 5. ad Theonem dixit

Anticiraſq; bibas Samii Lucumonis acumen.

Hinc denique conciliandæ verſiones Pagnini, qui *aciem gladii*; Noſtri; qui *adjutorium* vertunt & LXX Interpretum, qui ſic tranſtulerunt. Ἀπέστρεψας τὴν βοήθειαν τῆς ῥομφαίας αὐτοῦ, id eſt, *avertiſti adjutorium gladii ejus* ex interpretatione D. Hieronymi. Quid namque acutius TSUR? & quod majus auxilium ad debellandum, quàm acies armorum? unde qui aciem alicujus gladii obtuſum reddit, dicetur rectè in bello ei non eſſe auxiliatum.

Tribuni

Tribuni, Centuriones, & Milites ad cuſtodiam reorum. Cuſtodia pro noxio; catenis adſtricta. manus dextra reorum, militum ſiniſtra. duo aliquando milites dati. tunc utraque rei manus alligata. & medius inter cuſtodes. Actorum loci duo explicati. Militaris cuſtodia quæ? Caſtrenſis. ſui hæredes *illuſtratur L.* in cauſſa π *ex quibus cauſſis majores.*

CAPVT V.

APud Romanos, & Tribunis, & Centurionibus militibuſque reorum cuſtodiam commiſſam fuiſſe tam ex bonæ notæ authoribus, quàm ex ipſorum Iuriſconſultorum reſponſis eorum evolventibus ſcripta non ſine magna antiquitatis cognitionis delectatione, patet. De Tribuno Suetonius in Tyberio cap. 22. *Hunc* [Agrippam], (inquit) *Tribunus militum cuſtos appoſitus occidit lectis codicillis, quibus, ut id faceret, jubebatur.* De Centurione hiſtoria D. Pauli *Actorum* cap. 27. n. 1. ubi Paulus cum reliquis cuſtodiis Iul o Centurioni cohortis Auguſtæ traditus fuit, & flagellationi ejuſdem adſtitiſſe quendam Centurionem in eadem ſacra hiſtoria refertur. cap. 22. n. 25 & cap 24. nu 3: *juſſitq; Centurioni cuſtodire eum* Ioſeph etjam lib. 18. c. 13. ſcribit captivo Agrippæ

regi Centurionem ſatis benignum appoſitum. De militibus paſsim ferè apud omnes ſcriptores, & præcipuè apud Iureconſultos in toto tit. π & Cod. de *cuſtodia & exhibitione reorum*: & apud Paulum lib. ſententiarum: *Si pecunia accepta, miles cuſtodiam dimiſerit, capite puniendus eſt*, ubi *cuſtodiam pro cuſtodito*, ſic in L. *carceri præpoſitus*. & in L. *ſolet, Vlpiani* π de *offic. Proconſulis*. quod vir doctus Iuſtus Lipſius notavit ex multis veterum auctorum locis, quibus unicum addam teſtimonium noſtri vulgati Interpretis *Actor*. c. 27. nu. 1. ut agnoſcas quàm intus & in cute linguæ Latinæ proprietatem calleat, ubi ita tranſtulit: *ut autem judicatum eſt navigare eum in Italiam, & tradi Paulum cum reliquis cuſtodiis Centurioni nomine Iulio*. in Græco eſt καί τινας ἑτέρους δεσμώτας, id eſt, *& quoſdam alios vinctos*. Eſt enim Hebraiſmus *cuſtodia* pro *re cuſtodita*. Prover. 4. verſu 23. *omni cuſtodia ſerva cor tuum*. ubi ex Hebræo legunt *præ omni cuſtodia*, vel *ſupra omnem cuſtodiam*. At milites non ſolùm appoſiti ad cuſtodiam liberam; ſed, ut tutiùs noxios aſſervarent, catenâ unâ cum eis alligabantur. Seneca Epiſt. 5. *Quemadmodum eadem catena, & cuſtodiam, & militem copulat, ſic iſta, quæ tam diſsimilia ſunt, pariter incedunt*. Divus Auguſtinus in Pſal. 118. *Ligantur duo, & mittuntur ad judicem latro, & colligatus: ille ſceleratus; iſte innocens. unâ catenâ ligantur, & longè ſunt à ſe.*

Hæc

Hæc catena ſiniſtram manum militis vinciebat, noxæ dextram. elice ex Senecæ verbis de Tranquillitate lib. 1. cap. 10. *Sed quid refert? eadem cuſtodia univerſos circumdedit. allegati ſunt etjam qui alligaverunt; niſi tu fortè leviorem in ſiniſtra catenam putas.* ſic illuſtrabat Academiæ Salmanticenſis ſydus illud, nunc etjam hac in Regia conſpicuè micans, magiſter Hortenſius Felix, feliciter verſum 6. pſalmi Davidici 108. *Conſtitues ſuper eum Peccatorem; & diabolus ſtet à dextris ejus.* Monebat Hebraicè ſonare: *Hoſtis ſtatuatur ad dextram ejus.* refertque ad priſcam Tribunalis formam, in quo ritè Iudex ſedebat: reus autem cuſtoditus, præſente cuſtodia & apparitore, qui ei præſidens à dextris ipſius ſtabat, tempore ferendæ ſententiæ ducebatur vinctus, dextra ſcilicet alligata catena, quam in ſiniſtra habebat cuſtos. Quando verò judices exiſtimabant qualitatem delicti majorem ſive tutiorem cuſtodiam exigere, uni reo duos milites datos fuiſſe obſerva ex I. C. reſponſo in L. *non eſt.* 14. π de cuſtod. reorum. *Non eſt facile tyroni cuſtodia credenda: Nam ea prodita, is culpa reus eſt, qui eam commiſit ei. Nec uni, ſed duobus cuſtodia committenda eſt.* Actorum Apoſtolorum cap. 12. n. 6. τῇ νυκτὶ ἐκείνη ἦν ὁ πέτρος κοιμώμενος μεταξυ δύο στρατιωτῶν δεδεμένος ἁλύσεσι δυσὶ, id eſt, *in ipſa nocte erat Petrus dormiens inter duos milites vinctus catenis duabus:* & ſicut manus dextra noxii

ſolùm,quando unus miles ejus cuſtodiæ præerat, alligata catenâ erat: Ita utraque manus duabus catenis, cùm duo milites cuſtodiæ dati, hinc & indè ab vno quoque milite adſtrinctam puto. Lucem huic mori præbent dilucidè verba illa D. Lucæ proximè adducta *inter duos milites* & illa n.7. *& ceciderunt catenæ de manibus ejus.* De his Iuvenalis hiſce verſibus à Lipſio laudatus.

Inde fides arti ſonuit ſi dextera ferro,
Lævaq; ſi longo caſtrorum in carcere manſit.

& interpretor verba cap.21.n.33. *Act.* ubi de Divo Paulo vincto juſſu Tribuni: *Tunc accedens Tribunus apprehendit eum, & juſſit eum alligari catenis duabus*, quaſi juſsiſſet Tribunus ut duo milites duabus catenis vincto Paulo aſsiderent. Quæ longiuſculæ. colliges ex ſuprà citato D. Auguſtini loco, & ex Seneca Epiſtola *Subitò hodie nobis* 77. *Cæſar cùm illum tranſeuntem per Latinam viam unus ex cuſtodiarum agmine demiſſa uſque in pectus barba vetere rogaret mortem*, &c. Quî ambulare commodè poterant tot noxij niſi longâ catenâ? Expreſſè id Atheneus li.5.cap.11 ubi ait Manium Aquilium Conſularem, qui de ſiculis triumphavit, colligatum ſecum habentem Baſtardam quẽdam longa catena quinque cubitorum ab Equite peditem trahi. Vel longiuſculæ hæ catenæ, ut mitior eſſet cruciatio, & nihilominus major cuſtodia Imper. Conſtant. in L. 1. Cod. de cuſtod. reorum.

Interea

Interea verò, inquit, *reum exhibitum non per ferreas manicas, & inhærentes oſsibus, mitti oportet: ſed prolixiores catenas, ſi criminis qualitas etiam catenarum acerbitatem poſtulaverit, ut & cruciatus deſit, & permaneat ſub fidâ cuſtodiâ.* ubi illa verba: *catenarum acerbitatem*, ſi ſtrictim interpreteris, de duabus catenis ſunt accipienda. Hæc cuſtodia vocabatur *Militaris*, vulgaris & cuivis vel mediocriter in litteris verſato obvia conjectura mea non item. quam, ut æquo animo perpendas, apponam. Duplicem fuiſſe puto; vel in carcere; vel in caſtris. In carcere, cùm milites in eandem conjectos cuſtodiebant, de qua d. l. 1. c. de *cuſtod. reorum*, & d.c. 12. *Actorum*. Vlpianus in l. *in eadem cauſſa* 10. π ex quib. cau. majores. *In eadem cauſſa ſunt & qui à militibus ſtatoribuſque, vel à municipalibus miniſteriis aſſervantur*, in hoc officium nulli Proconſulum licebat *ſuos*, id eſt, familiares, & domeſticos promovere. Et ex ejuſdem Vlpiani verbis colliges in l. *obſervare* 4. π de off. Proconſul. *Nemo Proconſulum ſtratores* [lege ſtatores] *ſuos habere poteſt; ſed vice eorum milites miniſterio in provinciis funguntur.* Cùm enim oportebat Proconſulem familiam ſuam moderatè, & ſine Provincialium incommodo habere, leges ab officiis publicis Proconſulis familiares meritò amovebant; ne ſcilicet favore Proconſulis abutentes pecuniam à Provincialibus extorquerent, &

cuſtodias

cuſtodias dimitterent. Nec inſolens apud nos hujus vocis SUOS ſignificatio, qui dicimus *faltaron de los ſuyos* dicturi; amicos, conſanguineos, & familiares aliquem deſeruiſſe. Iureconſultis familiaris in ea notione *ſuorum* vox. l. *Divus Marcus*. 14. π. de officio Præſidis. *Cùm autem ex litteris tuis cognoverimus tali eum loco, atque ordine eſſe ut à* SUIS, *vel etiam in propria villa cuſtodiatur.* & l. 1. §. 1. π. de eo per quem fact. erit quom. quis in judicio ſiſtat. *Feciſſe autem* (inquit Vlpianus) *dolo malo non tantùm is putatur, qui ſuis manibus, vel per* SUOS *retinuerit, verùm qui alios quoque rogavit.* Ab iiſdem etjam *ſui* nuncupantur, qui inter ſe ita ſanguinis jure arctè conjunguntur; ut non fiant hæredes; ſed exiſtant; nec acquirere bona: ſed retinere dicantur. Hinc vocem TUOS interpretatus ſum ad Martialem lib. 1. Epiſt. 67. qui notans familiam Cæciliani cujuſdam turpitudine morbi hæmorrhoïdarum, ſcripſit:

Dicemus ficus, Cæciliane, tuos

Cuſtodia autem militaris in caſtris erat, cùm reus militibus, uti & fidejuſſoribus, non in carcere conjectus; ſed ſub eorum tantùm cuſtodia crederetur. Convinces apertè ex Vlpian. in l. 1. π. de cuſtodia reor. *De Cuſtodia reorum Proconſul,* (ait) *æſtimare ſolet, utrum in carcere recipienda ſit perſona, an militi tradenda, vel fidejuſſoribus committenda, vel etjam ſibi?* & in L. *Divus* 3. ejuſd. tituli. *Non*

eſſe in vincula conjiciendum eum qui fidejuſſores dare paratus eſt; niſi ſi tam grave ſcelus admiſiſſe eum conſtet, ut neque fidejuſſoribus, neque militibus committi debeat. Hæc cuſtodia Caſtrenſis appellata, vetus interpres Iuvenalis *Carcer*, inquit, *triplex eſt Vrbanus, Ruſticus, Caſtrenſis. Vrbanus, ut ſunt turres. Ruſticus, ut ergaſtula. Caſtrenſis, quando captivi trahuntur catenati.* Ergo catenati ii, qui à militibus non in carcere cuſtoditi. De quibus auſim affirmare intellexiſſe Vlpianum in L. *in cauſſa* 10. π. *Ex quib. cauſ. majores.* ibi. *in vinculis autem etjam eos accipimus, qui ita alligati ſunt, ut ſine dedecore in publico parere non poßint.* In hanc caſtrenſem cuſtodiam Tribunus juſsit duci Paulum. *Actor.* cap. 21. nu. 34. & cap. 22. nu. 24. Denique hi milites ad cuſtodiendos crucifixos, ne deponerent eos è cruce, & traderent ſepulturæ. Petronius in Satyrico. *Miles cruces aſſervabat, ne quis corpora ad ſepulturam detraheret.* D. Matthæus cap. 27. n. 54. *Centurio autem, & qui cum eo erant cuſtodientes* IESVM, *viſo terra motu, & his, quæ fiebant, timuerunt valdè.* Ad quam cuſtodiam reſpexiſſe videtur Pilatus, qui Iudæis petentibus aſſervari monumentum, reſpondit ἔχετε κουστωδίαν ὑπάγετε. *Habetis cuſtodiam, abite.* ejuſdem cap. 27. num. 65. de hac depoſitione & ſepultura dicemus latè cap. 17.

BEATA SERAPHIN. FILIVS HOMINIS.

CAPVT VI.

GEnera tantùm apud Grammaticos, ſi verè naturam rectam velis inſpicere, duo ſunt, maſculinum, & fœmininum. Græca tamen lingua, unde Latina defluxit, genus neutrum agnoſcit. quod nec maſculinum, nec femininum ſit. Reliqua omnia idiomata genus neutrum non agnoſcunt: unde mirari ſæpe ſoleo quo malo aſtro Grammatici docuerint apud Hebræos CHERVB. SERAPH. in ſingulari eſſe maſculina; in plurali verò CHERVBIN, SERAPHIN neutra. Quaſi verò adhuc durent illa monſtra Hippocentauri, & Minotauri: aut quaſi ullum nomen poſsit eſſe in ſingulari maſculinum, vel fœmininum: In plurali verò alius generis. Figmenta ſunt Grammaticorum, quæ, qui callet linguam Latinam, facilè ridet. Quum igitur audis BEATA SERAPHIN, intellige vocem *Seraphin* eſſe in patrio caſu; quaſi dicas: BEATA SERAPHINORVM ſic Virgilius prope finem lib. 2.

--Ferimur per opaca locorum.

& lib. 2.

--Et pariter greſſi per opaca viarum
Corripiunt ſpatium medium.

Perſius in præfatione Satirarum

Ad ſacra vatum carmen affero noſtrum.

Horatius

Horatius lib.4. Ode 13:

amaraq;
curarum.

ubi multa eruditè congerit Lambinus, quibus addo Apuleium in princ. Metam. *poſtquam ardua montium, & lubrica vallium, & roſcida ceſpitum, & globoſa camporum emerſi*, & *lubentia ſermonis*, apud eundem pro *ſermones lubentes ac læti.* M. item Felicem in Octavio. *Quid loquar aptè diſpoſita recta montium, collium flexa, porrecta camporum.* Sic in ſacris literis ſæpiſsimè *Ad Sancta Sanctorum*: & *viri ſanguinum*, id eſt, *ſanguinarii.* Pſal. 138. verſ. 19. & paſsim, ut *Scelus viri, Flagitium hominis, Morbi virorum*, pro *Vir ſceleſtus, Homo flagitioſus, Viri morboſi.* & Homerus lib. 2. Iliad. verſu 72. & 80. & alibi υἷας Ἀχαιῶν *Filios Trojanorum*, pro *Trojanis*, & Ἰατρῶν παῖδες, *Filij Medicorum*, id eſt, *ipſi Medici*, apud Lucianum. Item ex Hebræo idiomate FILIUS HOMINIS, pro *ipſe homo*, Ezechiel cap. 2. num. 1. *& dixit ad me, Fili hominis, ſta ſuper pedes tuos*, & cap. 3. *Fili hominis quodcunque inveneris comede.* utrobique LXX. legunt: υἱὲ ἀνθρώπου. Multa ſunt capita apud Danielem, quæ habent *Filii hominum*: ſic interpretatur Ioannes Zonaras *Annal tom.* 1. *pag. mihi* 22. qui ut explanet Danielis illud: Poſt interitum beſtiæ Prophetam vidiſſe quendam tanquam *Filium hominis* in nubibus venientem, & intelligat de ad-

ventu Salvatoris noſtri, Latinè ſubjungit: *Filius enim hominis dicitur ob aſſumptam naturam noſtram venturus in nubibus, ex promiſſo ipſius cùm dixit: Viſuros filium hominis venientem in nubibus cœli.* Præterea cùm dixit IESUS, Matth. 16. n. 13. *Quem dicunt homines eſſe filium hominis?* intelligendum. *Quem dicunt homines eſſe me?* Nam Lucæ 9. n. 18. habetur, *Quem me dicunt eſſe turbæ*, cùm ſit una, eademque hiſtoria de fide Petri: & Græcus textus ſeipſum explicat in DD. Matthæo, & Marco, τίνα με λέγουσιν: Porrò *Seraphin* in plurali numero eſt primus ordo Angelorum, qui Deum circumſtant, cui ordini accedit Cherubin, deinde Poteſtates: & dicitur *Seraphin* à SERAPH verbo Hebræo, quod eſt, *ardeo*, quòd charitate Dei ardeant ſupra cunctos Angelos, & cœteros ad Dei charitatem inflammandi munus habeant. Scias à viris doctis mihi objectum in tranſlatione LXX Interpretum eſſe τὰ χερουβεὶν, cum articulo neutro. Nam cap. 3 Geneſ. legitur: *& collocavit ante paradiſum voluptatis Cherubin*, Græcè τὰ Χερουβεὶν: Addo ego Iſaiæ cap. 6. *& clamabant alter ad alterum*, Græcè ἕτερον πρὸς τὸ ἕτερον, neutraliter Ibidem: *& volavit ad me unus de Seraphim*, Græcè ἐκ τῶν Σεραφεὶν. neutraliter, Exodi 25. *Duos quoque Cherubin aureos, & productiles facies:* καὶ ποιήσεις δύο χερουβεὶν χρυσᾶ τορευτά. ſequitur; *unus ſit in latere uno, & alter in altero.* Græcè εἷς καὶ εἷς maſcul.

maſcul. Numerorum 7. in fine, *Inter duos Cherubin*, ἀνά μέσον τῶν δύο χερουβεῖν: Sed reſpondeo in his omnibus vocem *Cherubin*, aut *Seraphin* eſſe in genitivo plurali; & articulum neutrum referri ad ſubſtantivum ſubintellectum: ut ſi dicas τὰ ἀνθρώπων, id eſt, ea, quæ ſunt hominum, vel humana.

Tribuni, Centuriones, & Milites executores pœnis damnatorum dati. Factum eſſe quod imperaſſet *ſpeculatores. unde dicti. Locus D. Marci explicatus. Optiones. veſtes damnatorum inter milites diviſæ.* l. Divus Adrianus. π. *de* bonis damnatorum *explicata, & alia Hiſtoria ſacra D. Joannis illuſtrata. Duæ Salmaticenſes antiquæ leges Municipales.* Sayon *ejus etymon. Zona, & baltheus gemmis & auro diſtinctus. Joannes de Mena Hiſpanus Poëta declaratus. Parazonium. Tribuni cincti. Accurſius defenſus.* Eſquero.

CAPVT VII.

NOndum ſuſpendi arma, ventilo iterum in hac togata militia. Iam dictum cap. 5. Tribunos Centuriones & milites in cuſtodia; nunc fuiſſe etjam in executione mortis. Milites enim rem pœnalem adminiſtrabāt, & in ipſa urbe. Tertullianus de *corona militis*, cap. XI. ubi diſuadet ho-

 mini

mini Chriſtiano ne militet his verbis: *& vincula, & carcerẽ, & tormenta, & ſupplicia adminiſtrabit, nec ſuarum ultor injuriarum.* De Tribunis Tacitus lib. 3. annalium, ubi de Piſone accuſato ob interemtum Germanicum. *Igitur* (ait) *inditus lecticæ, & à Tribuno Prætoriæ cohortis deductus eſt: vario rumore cuſtos ſalutis an morbis exactor ſequeretur.* & de Lollia accuſata, & damnata, li. 12. annal. *In Lolliam, inquit, mittitur Tribunus, à quo ad mortem adigeretur.* Suetonius in Caligula cap. 23. *Fratrem Tyberium inopinantem repentè immiſſo Tribuno militum interemit.* Idem Suetonius in Tyberio cap. 22. qui refert Agrippam interemtum à Tribuno, cui Imperator codicillos miſit, quibus, ut id faceret, jubebatur. Quod Tacitus li. 1. annal. & Plutarchus commiſſum Centurioni dicunt. De Centurione Seneca lib. 3. de ira cap. 20. *Adjicere his longum eſt quot patres quoque occiſorum eadem nocte, dimiſſis per domos Centurionibus* [Caligula] *confecit.* Lampridius in Heliogobalo: *Sabinum,* ait, *conſularem virum, ad quem libros Vlpianus ſcripſit, quod in urbe remanſiſſet, vocato Centurione mollioribus verbis juſſit occidi.* Suetonius in Claudio cap. 29. *die ipſo,* inquit, *Claudii & Agrippinæ nuptiarum in quinque & triginta Senatores, trecentoſq; amplius Equites Romanos, ut de nece Conſularis viri renunciante Centurione* FACTVM ESSE QVOD IMPERASSET; *negaret ſe quicquam*

quam

quam imperaſſe; *nihilominus comprobaret affirmantibus libertis officio milites functos, quod ad ultionem Imperatoris ultrò procurriſſent.* unde nota formula *Factum eſſe quod imperaſſet*: Tacitus ubi ſuprà, *Nuncianti*, inquit, *Centurioni, ut mos militiæ Factum eſſe quod imperaſſet*, Suetonius in Tiberio d. c. 27. *renuncianti Tribuno* FACTVM ESSE QVOD IMPERASSET. Speculatori ferè ſemper id Centurione præpoſito commiſſum. Iulius Firmicus lib. 8. c. 26. *Speculatores faciet, qui nudato gladio hominum amputant cervices.* Seneca lib. 1. de Ira c. 16. *Tunc Centurio ſupplicio præpoſitus, condere gladium ſpeculatorem jubet, damnatum ad Piſonem reducit, redditurus Piſoni innocentiam*, & li. 3. de beneficiis cap. 25. *Bello civili*, inquit, *proſcriptum dominum ſeruus abſcondit*: *& cùm annulos ejus ſibi aptaſſet, ac veſtem induiſſet ſpeculatoribus occurrit, nihil ſe deprecari quominus imperata perageret dixit*; *& deinde cervicem porrexit.* Hi ſpeculatores, milites erant, qui latera Principis ſepiebant, & velut in ſpecula ejus ſalutis. Vnde nomen de quibus Imperatores in L. *Ordinariorum Iudicum* 7. C. de cohortalibus. Quare Octavius *ſpeculatorem ſuum* vocavit quendam; quaſi in ſui cuſtodia militem, ut refert Suetonius, in ejus vita c. 74. *Ipſe ſcribit invitaſſe ſe quendam, in cujus villa maneret, qui ſpiculator olim ſuus fuiſſet.* Alii verò ſpiculatores dici volunt (& hanc lectionem ſequor

multorum

multorum codicum fide comprobatam) ab haſta, ſeu ſpicula, quam ii ſatellites ferebant dum in cuſtodia Principis, Suetonius in Claud. c. 35. *Neque convivia inire auſus eſt, niſi ſe ſpiculatores cum lanceis circumſtarent, militeſq; vice miniſtrorum fungerentur*, & in Galba c.41. *Deſcendentem Galbam ſpiculator impulſa turba lancea propè vulneravit.* Clarè Suidas Σπεκȣλάτωρ⊙ δορυφόρ⊙, quem declarant Gloſſæ veteres δορυφόρ⊙, *ſtipator ſatelles, ſatellis* iis arma clypeum, & lanceam Ioſephus tribuit lib. 3. Iȣδαϊκ ἁλωσ cap. 6. Igitur ex eo militum ordine ſumebantur qui in capitis reos ſege agerēt, ut dixi, & comprobat tam hunc morem, quàm veram *ſpiculatoris* nominis ſcripturam. D. Marci S. hiſtoria de S. Ioannis decollatione c.6. num. 25. ex noſtri vulgati Interpretis verſione tali: *Cumq; introiſſet, ſtatim cum feſtinatione ad Regem petit: dicens: Volo vt protinus des mihi caput Ioannis Baptiſtæ, & contriſtatus eſt Rex propter juſjurandum, & propter ſimul diſcumbentes noluit eam contriſtare: ſed miſſo ſpiculatore præcepit afferri caput ejus in diſco* : ubi Divus Chryſoſtomus ait: *Spiculatorem militem eſſe carnificem deputatum ad id, ut occidat.* & Theophilactus, & Euſtathius *ſpiculatorem, carnificem*, interpretantur. Qui *ſpiculatores* etjam vocati *Optiones*, quamvis *Optionum* inferior militum ſit gradus. Eſt enim *Optio* in ordine & promotione antecedentis cujuſcunque militis adjutor,

teſte

teſte Vegetio. Quare IC. Vlpianus in L. *Divus Adrianus* 6. π. de *bonis damnat.* modò *optiones & ſpiculatores* conjungit; modò *commentarienſes, & optiones.* & Impp. in L. *ad commentarienſem* Cod. de cuſtodia reorum, *adjutorem* vocant: *Optionem,* ſi verò, inquiunt, *commentarienſis neceſsitate aliqua, procul ab officio egerit, adjutorem ejus pari jubemus invigilare cura, & eadem ſtatuimus legis ſeveritate conſtringi.* Denique inter hos milites, dãnati veſtes ex lege dividebantur. Quod me docent verba d. l. *D. Adrianus* attentè perſpecta. *Pannicularia ſunt ea, quæ in cuſtodiam receptus ſecum attulit ſpolia, quibus indutus eſt, cùm quis ad ſupplicium ducitur: ut & ipſa appellatio oſtendit. Ita neque ſpiculatores ſibi vendicent, neque Optiones ea deſiderent, quibus ſpoliatur, quo momento quis punitus eſt,* &c. Prohibet ergo lex, quod antea frequens uſu. Scilicet Spiculatores, & Optiones ſibi ſpoliare veſtimenta rei, ſtatim ac eum trucidabant, & Præſidis arbitrio relinquit eorum diviſionem; ita ut inter milites, pro arbitrio, non in compendium ſuum vertentes, impertiantur. Ab hac conſuetudine, licèt cum myſterio etiam, veſtes D. N. inter milites diviſæ ut Evangeliſtæ narrant, & plenâ manu ſcripſit Divus Ioannes cap. 19. num. 23. verba ſunt: *Milites ergo cùm crucifixiſſent eum, acceperunt veſtimenta ejus, & fecerunt quatuor partes unicuique militi partem: & tunicam,* &c. Inter leges etjam

D. Matt. cap 27. num. 25. D. Marcus cap. 15 n. 24. D. Luc. c. 23 n. 34.

 munici-

municipales Salmanticenſes manu exaratas in libello quodam membranaceo, ſcripto ab hinc annis quingentis, quas in Archivis illius Civitatis aſſervatas inveni, aliam reperi ſub titulo, *de ladron, que fuere juſticiado*, talem: *Todo ladron, que el conſejo juſticiar, prendan los Sayones ſu deſpojo, y den las ſogas*. Item aliam ſub titulo *de home, que juſticiaren*. talem: *Todo homo que conſejo juſticiar, con quales veſtidos fuere preſo, con tales lo den al ſayon*. & nunc apud nos extat L. 1. tit. 32. lib. 4. *nova recopilat*. ibi: *lleve el verdugo las ropas que tuviere veſtidas al tiempo de la execucion; y ſe entienda en el hombre el ſayo, i calças, i jubon*. Hinc Etymologiam nominis *ſayon* videor aſſecutus, vel ſic vocatus: quia ſibi veſtes rei vindicabat, vel quia ſagatus ſpiculator: è militum numero erat. Huc (ſic autumo) reſpexit Divus Cyprianus, ubi mortem ſubiturus dedit carnificibus veſtem, *& cùm perveniſſet* (inquit Poſsidonius de paſsione Cypriani) *in locum, qui dicitur ſextus, quarto ab urbe milliario, ſpoliavit ſe birro, & tradidit carnificibus*. His pro coronide non incongruè addam ſub nomine *pannicularia* non contineri omnia, quibus indutus erat reus cùm in carcerem ductus, ſed tantùm, quæ vilia & non precioſa. Clarè hæc IC. licèt obſcuris verbis, docuit in d. L. *Divus*, quæ, ut illuſtrem, ſcribam. *Non enim bona damnatorum pannicularia ſignificari quis probè dixerit; nec ſi zonam circa ſe habuerit,*

rit, protinus aliquis ſibi vindicare debebit; ſed veſtem, qua is fuerit indutus, aut nummulos in ventralem, quos victus ſui cauſſa in promptu habuerit. Zonam intelligo, non eam, in qua nummi aſſervantur; ſed illam; quæ variis gemmis auroq́ue ſtellata, magno ſtabat pretio. Apud Duces namq; Romanos zona, & Baltheus idem. unde in gloſsis ζώνη. *Baltheum, cingulum*, & is baltheus ornatus ſæpè aureis ſtellis. Virgil. lib. 9. Æneid.

Euryalus phaleras Rhamnetis, & aurea bullis
Cingula ——

& lib. 12. in fine.

——*Infelix humero cùm apparuit alto*
Baltheus, & notis fulſerunt cingula bullis.

Calphurn. in Bucolic.

Alternet vitreas lateralis cingula bullas.

unde in Apulejo *Cingula aurata*. Statius. *Flammea.* Perſius *Satyr.* 4. verſ. 44.

—— *Sed lato baltheus auro*
Protegit. ——

Divus Ambroſius lib. de Helia & Iejunio cap. 13. ſtipatores, inquit, *hi ſunt bellici, qui miniſtrant ſuccincti auro, & Babylonicis lumbos ſuffulti baltheis. Aureis torquibus nitent colla infantium, aureis bullis zonam tegunt.* Ælius Spartianus agens de Adriani modeſtia, inquit, *ſine auro baltheum ſumeret.* Contrà Vopiſcus de Carino. *Habuit baltheũ etjam ſæpe gemmatum.* quę diſtrictè vetant L. 1. C.

nulli licere in frenis, & equeſtribus ſellis, &c. Huc alluſit Noſter Poëta Ioannes de Mena in principio *coronationis*, hiſce verſibus:

e las cunas clareciera
donde Iupiter naciera
a quel hijo de Latona
en un taçhon de la zona
que çine toda la Esfera.

Cùm enim Aſtrologi in zona duodecim ſigna collocent, ut Poëta ſolem per unum eorum exprimeret tranſeuntem, mutuavit metaphoram à zona, quæ variis fixis ſtellis aureis diſtinguitur, quas *tachones* nuncupamus. Hæc zona ideo variegata auro & gemmis, quia militare inſigne, & decus militiæ Tribunitiæ. Ex ea Tribuni appendebant pugionem, quod vocabatur *Parazonium*, Martial. *lib.* 14. *Ep.* 29. cujus lemma, *Parazonium.*

Militiæ decus hoc, & grati nomen honoris,
Arma Tribunitium cingere digna latus.

Vnde Marcellus IC. in L. *Titius*. 25. π. de *teſtam. milit.* ut denotaret Titium jam honorem Tribunatus militaris conſecutum, *cinctum* eſſe dixit, his verbis: [*Titius priuſquam Tribunus legionis factus eſſet, teſtamentum fecit, & poſtea cinctus, manente eodem, defunctus eſt.* Erat igitur zona de qua IC. in d. l. *Divus.* magni pretii, ut optimè interpretatur Accurſius, & ideo in pannicularia non annumerata; numeranda, ſi vilis; uti leves annuli, & nummi, quos

quos in *ventrali*, id eſt, burſa circa ventrem pendenti, ad victum in promptu habemus. Quas burſas *eſqueros* nominamus, non ut uſurpant Comici & aliqui putant, quod in illis deferre ſolent Paſtores annulos ferreos, ſilices, & ignis eſcas, hoc eſt, fungos aridos, & fomitem unde,

—— ſemina flammæ
Abſtruſa in venis ſilicis, —

ſiue ſcintillæ eſcuſſæ, rapiunt flammas: ſed quod ad eſcam quotidianam præ manibus in his burſis pecunias geſtemus. Scio etjam hoc nomen optimè deduci poſſe, à Græco ἀσκοπήρα, id eſt, *marſupium* formatum ἀπὸ τοῦ ἀσκὸς, quod eſt *pellis*, & πήρα, quod *peram* ſive *ſacculum* ſignificat, ut ſcripſit Suidas. ασκοπηρα τὸ μαρσυπιον ἢ τὶ σακκοπάθιον, & Suetonius utitur, ex vulgata & vera lectione, ea voce in *Nerone, cap.* 45. illis verbis: *Alterius collo, & aſcopera deligata, ſimulq́; titulus. Ego quid potui, ſed tu culeum meruiſti.* Sed ad rem, ut jam finem hiſce parergis imponamus, conducunt Verba Baſilicorum titulo de *bonis damnatorum*, quæ ex interpretatione Cujacii ſunt. *Pannicularia autem eſt veſtis, qua cùm comprehenditur* [damnatus reus] *indutus eſt, & nummuli; quos victus cauſa refert; vel annuli uſque ad aureos quinque: non etjam zona, vel precioſi annuli, vel magna quantitas.* ubi vides, quia in pannicularia continetur veſtis, exceptam fuiſſe zonam; nam licet veniat ſub nomine

veſtis vel pannorum ut rectè infert Bartolus ex d. l. *Divus*. num. 2. & probat ex L. *veſtis*. π. de *auro & argen. legat.* tamen, uti precioſa, expungenda damnati ſpolijs. Idem videtur ſenſiſſe Głoſſographus Baſilicorum verbo *veſtem*, dum inquit: *Non etjam ſi lapidem pretioſum in digito habuit, vel chirographa geſtarit in ſinu magnæ quantitatis, hæc enim nullo modo ad veſtem pertinent.*

Butyrum, & mel comedet, ut ſciat. *Terentio, Ovidio & Iuvenali lux.*

CAPVT VIII.

DIxi in medio ſchediaſmate de Pliniani loci diſcuſsione, & ſemper in eadem manebo ſententia, unius vocis unicam eſſe ſignificationē; reliquas verò illi per tropos accommodari. Itaque particula *ut*, quę variè diſtrahitur apud Grammatiſtas, unum ſemper intellectum habet ſimilitudinis videlicet. Horatius lib....

Vt tu fortunam ſic te nos, Celſe, feremus

Terentius Phormione Act. 4. Scen. 4.

Vt te quidem omnes Dii Deæq; ſuperi inferi
Malis exemplis perdant.

Sed deeſt, *oro*, vel, *precor*. Dicunt accipi pro *quamvis*. Ovid.

Protinus ut venias facta videbor anus.

ſed

ſed deeſt, *eſto*, vel, *fac*, vel, *demus*, unde Iuvenalis locus obſcurus lucem poteſt accipere, Satyr. 10. verſ. 97.

—ſed quæ præclara & proſpera tanti,
Vt rebus lætis par ſit menſura malorum;

ſcilicet *fac*. Ita in illo Iſayæ c. 7. n. 15. *Butyrum & mel comedet, ut ſciat reprobare malum, & eligere bonum.* Si vellem hujus loci interpretationes enumerare nunquam finis eſſet. Sunt enim qui quærant, quid ſimile habeat butyrum cum re mala, aut mel cum re bona, vel contrà: quæve ſit analogia mellis, & butyri cum malo & bono. At verò ſi Grammaticæ rationi adhæreas, facilè hæc omnia elucidabis, & lucis dabis. Dic igitur deeſſe huic orationi, *Eſto, Fac, Demus.* ut ſit ſenſus: Puer hic, qui naſciturus eſt, Deus eſt: ſed more puerorum educabitur, butyro ſcilicet, & melle: ut parvuli infantuli ſolent educari, quamvis ipſe ſit perfectus, nec in ſapientia poſsit creſcere: hoc eſt, Demus ipſum jam poſſe reprobare malum, & eligere bonum (quod eſt perfectorum) ipſe tamen, ut pueri cœteri alendus eſt butyro, & melle.

Tormenta

Tormenta fallaciſſima. ſervi ut in caput domini torquerentur, publicati. Bartolus reprehenſus. illuſtrata l. unius π. de Quæſtion. *Cappadoces ad teſtimonia falſa, cùm torquerentur, durantes.* Τρία κάππα κάκιςα. *Petronius emendatus. Myrrhatum vinum, aliud dulce. aliud amarum. D. Matthæus & D. Marcus explicati. vinum damnatorum. Apulejus correctus.*

CAPVT IX.

AIT Quintilius li. 5. *Inſtitutionum Orator.* cap. 4. in tormentis alteram partem vocare quæſtionem, *veram fatendi neceſſitatem*; alteram *ſæpe* etjam *cauſſam falſa dicendi.* Quod aliis patientia, facilè mendacium faciat; aliis infirmitas, neceſſarium, Quod agnoſcens Iuriſconſultus Vlpianus in l. 1. §. *quæſtioni* 23. π. de *quæſtionibus ſtatutum eſſe*, inquit, *non ſemper fidem tormentis; nec tamen nunquam adhibendam fore*; & apponit præcedentium ætyologiam his verbis: *Etenim res eſt fragilis* [quæſtioi] *& periculoſa, & quæ veritatem fallat: nam plerique patientiâ, ſive duritiâ tormentorum, ita tormenta contemnunt, ut exprimi eis veritas nullo modo poſſit: alii tanta ſunt impatientia, ut quivis* [lege *quavis*] *mentiri, quàm pati tormenta velint. Ita fit, ut etjam vario modo fateantur, vt non tan-*

tùm

tùm ſe, verùm etjam alios criminentur. Quam veritatem, & quotidiana experientia docet, & veterum authorum (Livii lib. 14. & Curtii lib. 6. Plutarchi in Pompejo. Val. Max. lib. 3. cap. 3. lib. 6. c. 8. & lib. 8. cap. 4.) teſtimonia manifeſtant, qui tormentorum impatientes exſibilandos traducunt; & fortiter tolerantes cum pompa conſpiciendos omnibus proponunt. De Ægyptiis Ælianus lib. 7. *var. hiſtor.* cap. 8. Αἰγυπτίους φασὶ δεινῶς ἐγκαρτερεῖν ταῖς βασάνοις, καὶ ὅ πθῆτον τετνήξεται ἀνὴρ Αἰγύπτιος στρεβλούμενος ἢ τ᾽ἀληθὲς ὁμολογήσει, id eſt, *Aegyptios ajunt patientiſsimè ferre tormenta, & citiùs mori hominem Aegyptium in quæſtionibus tortum, examinatumque; quàm prodere veritatem.* Quare lex Iulia de adulteriis ſapientiſsimè cavit, ut ſervi in caput dominorum torti poſt quæſtionem habitam publicarentur, & reddit huiuſmodi rei rationem Vlpianus in lib. 3. de *adulteriis* in L. *ſi poſtulaverit.* 27. §. *jubet lex.* 11. π. *ad leg. Jul. de adulteriis*, his verbis: *Ratio autem publicandorum ſervorum ea eſt, ut ſine ullo metu verum dicant: & ne dum timeant ſe in reorum poteſtatem regreſſuros, obdurent in quæſtione.* Cùm ergo patientia veritatem occultet, Iuriſconſultis viſum, evidentioribus indiciis in reos comprobatis, iteranda tormenta; præcipuè ſi de ipſorum animi, atque corporis duritia conſtaret. Ita reſpondit Paulus lib. 5 *ſentent.* tt. 14. §. 3. relatus in L. *unius.* 18. π. de quæſtion. *Reus* (ſcribit)

evidentioribus argumentis oppreſſus repeti in quaſtionem poteſt, maximè ſi in tormenta animum corpuſq; duraverit, ubi verbum *duraverit*, haud in communi notione, nec cujvis obviâ. unde lectiones variant, & in margine ſcioli diverſas expoſitiones ſcribunt. Alii legunt: *Maximè ſi in tormenta animum corpuſq; obduraverit*, alii: *ſi in tormenta animus corpuſq; duraverit*. Illi faciliùs ducunt emendare, quàm interpretari. Hi ſecum reputant corrigere & interpretari, quæ non intelligunt; dum pro *perſiſtere* & *perſeverare*, frigida ſanè expoſitione, *durare* accipiunt decepti vulgari, & triviali ſignificatione, quæ paſsim proſtat in Iure, ut in l. *venditor*. 49. π. de *judiciis*. Quorum anteſignanus it Bartolus ad d. l. *unius*. n. 3. *Dicitur hîc maximè*, inquit, *ſi in tormentis animus corpuſq; duraverit. Quæro quando durat in tormentis animus & corpus. Reſponde; Quando propter tormenta non habet animum confitēdi, nec confitetur, nec perſeverat: tunc non durat animus*. Cujus ſi amplectaris interpretationem venit corrigenda textus littera, ut ſint ANIMUS, & CORPUS, in nominandi caſu: cùm potiùs ibi τὸ DURARE, actionem ſignificet; Reum ſcilicet durare animum, & ita ſtrenuè tormenta tolerare, ut animus, & corpus ea inſuper habeant, ac arrideant. De Attilio Regulo Silius Italicus:

Oſſa liquefactus fumarunt fervida membris,

Mens

Mens intacta manet, ſuperat ridetq́ dolores,
Spectanti ſimilis. ——

Hac eleganti notione verbi *durandi* uſus eſt Seneca Epiſt. 57. *Sed jam me ſic ad omnia iſta duravi:* Quintil. Declam. 279. *Non omnium animos maritorum durare ad ſanguinem; eſſe quoſdam mitiores, qui ne conſpicere quidem cruorem ſufficerent.* Horat. Sat. 4. lib. 1. ——

—— *Simulac duraverit ætas*
Membra animumq́ tuum, &c.

Hinc abſolutè, *durare* ſignificat ſuperare dolorem. Gallio apud Senecam controverſ. 11. *Anime dura heri fortior eras.* Plin. lib. 1. Epiſt. *nil jam ne me quidem impetraturum, tam obſtinatè magis ac magis induruiſſe.* Gloſſæ veteres: *Durat* καρτερεῖ μακροθυμεῖ, ὑπομένει. *Duravit.* ἐκαρτέρησεν, cujus verbi καρτερέω ſignificatione utitur eleganter Eccleſiaſticus cap. 2. n. 2. Εὔθυνον τὴν καρδίαν σου, καὶ καρτέρεσον, καὶ μὴ σπεύσης ἐν καιρῷ ἐπαγωγῆς, id eſt, *fac ut rectum ſit cor tuum, & perdura; & ne feſtina tempore adverſitatis.* Quid aliud innuit τὸ. μὴ σπεύσης? Eſt enim μακροθυμία *repreſſa feſtinatio, & moderatio animi. Ne feſtines,* eſt; ne ſis impatiens, & ne tolerantiæ carceres egrediaris. Valerius item Maximus lib. 2. cap. 7. num. 10. è verbo *duro, duramentum* deduxit, & dixit: *duramentum imbecillitatis humanæ.* Hæc patientia, quam *duritiam* vocant Iuriſconſulti in d. L. 1. ab aſſuetudine etjam; & ab

arte. Ab aſſuetudine: teſtes Cappadoces de quibus Perſii vetus commentator ad Sat. 6. verſ. 75. *vel quia Cappadocas* (ait) *dicerent habere ſtudium naturale ad falſa teſtimonia proferenda, qui nutriti à pueritia in tormentis, eculeum ſibi facere dicuntur, ut in eo ſe invicem torqueant; & cùm in pœna perdurarent ad falſa teſtimonia ſe bene vænundare.* Proverbium: Τεία καππὰ κάκιστα. De his Petronius in Satyrico. dum confundēs Aetyopas, qui Melanoſyri, cum Cappadocibus, qui Leucoſyri, ſic inquit: *Ita tanquam ſervi Aetyopes, & praſto tibi erimus ſine tormentorum injuria hilares; ubi* pro *ſine torment.* (manu ducente Meurſio) lege, *in tormentorum injuria.* Ab arte: ſcies ex Opio Solano & ſimilibus humores turbari: quibus ſoporem conciliantibus, & nervorum origines obſtruentibus, ſenſus ſtupefieri & impediri ſenſatione, certum eſt eandem vim. Dioſcorides tribuit lapidi Memphiti ex Aegypto li. 5. cap. 115. Addo & damnatis, ut expertes doloris eſſent, vinum myrrhatum propinari ſolitum. Non illius, cujus Martialis meminit li. 14. Epigr. 113. quod inter dulcia Plinius annumerat li. 14. cap. 13, quia hoc jucundum & gratum. Sic nuncupatum, nam calidum in vaſis myrrhinis infuſum ad ſaporem conciliandum. Diſtichon Epigrammatarii,

Si calidum potas, ardenti myrrha falerno
Convenit, & melior fit ſapor inde mero.

&

& ad odorem contrahendum, ut Plinii verba denotant [*lautiſsima*, inquit, *apud priſcos vina erant myrrhæ odore condîta*: Myrrhatum vinum intellige amarum, & inſuave; quia permixtum myrrhâ, quæ amara, & ideo Plinius lib. 12. cap. 16. ait, *Myrrham adulterari lentiſci glebis & gumi, nec non Cucumeris ſucco*. utrumque diſces ex S. Hiſtoria Divi Matthæi c. 27. n. 34. *& dederunt ei*, inquit, *vinum bibere cum felle mixtum*. D. Marcus cap. 15. n. 23. ſic ſcripſit: *& dabant ei myrrhatum vinum*, Divus Matthæus *vinum felle mixtum*. dixit; quia amarum: quòd amarum infectum felle vocemus. Sic interpretatur Divus Auguſtinus de conſenſu Evangeliſtarum lib. 3. cap. 11. to. 4... ibi. *Hoc intelligendum eſt Matthæum dixiſſe cum felle mixtum. Fel quippe pro amaritudine poſuit. Myrrhatum enim vinum amariſsimum eſt*. Propinatum ergo D. N. fortè à piis mulieribus, (viri docti putant) quę nimirum lamentantes eum proſequebantur quò ſenſibus (ut eis videbatur) alienatis mortem crucis horribilem ſubiret ſine dolore. Myrrham enim, ſi largiùs bibatur, mẽtem adumbrare, vel inferre mortem Galenus docet, (atque id Medicorum filiis notiſsimum) li. 15. *ſimplic. medicament*. c. 19. Hinc potum iſtum ab illo D. Lucæ cap. 23. nu. 36. & Divi Ioannis c. 19. n. 29. diverſum cenſe, varijs argumentis ex ipſa hiſtoria ſacra petitis, & per multos congeſtis, qui ad Evan-

gelia ſcripſêre commentaria. Quæ ne videar a-ctum agere, prætereo: unum adducens tantùm ex verbis Divi Matthæi c. 27. nu. 48. Nam agens de illo potu, quem D. N. Crucifixo pæne jam expiranti. Divus Lucas & Ioannes oblatum narrant, ait: *& continuò unus ex eis acceptam ſpongiam implevit aceto, & impoſuit arundini, & dabat ei bibere*, diſtinguens illum, de quo num. 34. ab illo, de quo n. 48. De hoc duplici potu rex David Pſal. 68. n. 22. *Dederunt*, inquit, *in eſcam meam fel, & in ſiti mea potaverunt me aceto*. Nec in D. N. morte id ſolùm ex myſterio, ut adimpleretur prophetia; ſed etjam ex conſuetudine. Nam moris erat apud Iudæos tormenta ſubituris ad duritiem corporis, & animi conciliandam, vinum myrrhatum & inebriativum miniſtrare; ut extat in Talmudicis ſcriptis titulo *Abel Nabati* c. 2. quem morem adſtruebant Prover. c. ult. n. 6. *Date ſiceram mœrentibus & vinum his, qui amaro ſunt animo*. Quod vinum, *damnatorum vinum* Amos vocat c. 2. n. 6. *& vinum damnatorum*, inquit, *biberunt in domo Dei ſui*, metaphoricè David Pſal. 59. n. 4. *Potaſti*, ait, *nos vino compunctionis*. Chaldaicus paraphraſtes vertit *Calice maledictionis*, videlicet quia, cruciariis, maledictis à lege, dabatur. Vbi Divus Hieronymus ſic transfert, *potaſti nos vino conſopiente*, id eſt, illo damnatorum vino, quod ad torporem inducendum eis datur, & ad eos ſopiendos ac dormien-

dormientibus exæquandos. Id etjam moris fuiſſe apud Gentiles non inſcitè probavit Nicolaus Faber Apuleii li.8.his verbis: *Indidem ſeſe multimodis commaculat ictibus mirè*[legit *myrrhæ*] *præſumtione munitus*, & li.10. *obfirmatus mira* [legit *myrrha*] *præſumtione multis verberibus, ac ne ipſi quidem ſuccubuit igni.* Emēdatione facili & ex ſimili ductu literarum obvia, etjam exemplis confirmata: pro omnibus ſufficiat unum ex d.l.14. c.14. Plinii. Nam ubi nunc legitur *lautiſſima apud priſcos vina erant myrrhæ odore condîta*, in antiquis Codicibus legebatur: *Miro odore condîta.* Nec aliquis inficias eat, quòd inveniri ſcriptum neget damnatum ad futuros ictus & verbera, præmunitum myrrhâ, & aſſeveret nullum reum myrrhâ præcautum eluſiſſe judicem ſeverum; Quia apud nos quotidie thure & myrrha torquendos ſe indurare ſolitos audio, & apud Romanos ſemine erucæ in vino infuſæ (calida enim eſt & in eo, eadem cum myrrha) reos præmunitos contra verbera, docet Plinius li.20. cap.13. *Ajunt*, inquit, *verbera ſubituris potum erucæ ſemen ex vino duritiam quandam contra ſenſum inducere.*

Vnum

Vnum uni contrarium eſſe, non unum duobus, aut multis. Eccleſiaſticus. Plato. Ariſtoteles Jureconſulti & Poëtæ, explicati.

CAPVT X.

NIl adeò conſonum veritati, & rationi adaptatum videtur, quin aliquoties ſuâ ſede moveri, vel etjam pelli contingat; aut aſſentantibus, aut attentantibus iis, qui ultra vires ſortemq́ue, Genium ex ingenio præſumentes audent novas res, & pectore nonnunquam aſſerunt toto. Quæ autem vetera, & ſolida, vel antiquanda, vel etjam amandanda omnino reputant, tanquam monſtra. Feliciùs ageretur cum iis, ſi, quemadmodum vino vetere ſapientes, ita & doctrinâ, ut antiquis moribus utendum ducerent: vel ſaltem vetera tractarent noviter, dum vera, ut aliquid ex iis elicerent momenti: Nova autem communiter, ut videtur expeditius. Nam utrunque rectè eſſet. Tũ quod priuati juris facimus, quæ publico mutuamus; nec illis, ait Seneca, manus injicimus tanquam alienis, ſunt enim publica, & alienum factum ſubtiliter interpretantes, etſi non laudabiliores inventore, tamen proximè ei accedimus non minore digni gloriâ. Qui præceſſêre ne dicant præripuiſſe viam mihi, nam apperuiſſe verius eſt. Multum intereſt, an ad conſumtam materiam, an ad ſubactam accedas.

cedas. Creſcit in dies, & inventis inventa non obſtant, prӕterquam quòd *optima ſit ultimi conditio.* hoc ſemper novum erit uſus & inventorum ab aliis ſcientia & diſpoſitio. Tum quòd ſemper licet, quod Horatius jubet,

Signatum præſente nota producere noſtrum.

Forma enim publica, ut in numis ait Paulus L. 1. π.de contr.emp.facit perpetuam æſtimationem & uſum, nec ulli nato poſt mille ſecula præcludatur occaſio ſemper aliquid adjiciendi. Videbor ego utramque utrinque paginam adimpleſſe, ſi ea, quæ à magnis viris tradita, quippe vera, ſcribam; addamq́ue inſuper alia, quæ rem illuſtrent totam, nec extra lectoris captum & fructum. Quid decantatum magis, ſed quid magis verum, quã Ariſtotelis axioma: *Virtutes morales in medio duorum extremorum ſitas eſſe.* unde & celebre illud, *In medio conſiſtit virtus*: & *aurea* Poëtis laudata *mediocritas* omnibus in rebus, in actionibus cunctis, ſtudiis, functionibus tenenda, miſcenda, obſervanda. Sic Venuſinus Vates:

Et modus in rebus, ſunt certi denique fines,
Quos ultra citraq́; nequit conſiſtere rectum.
—— Medio tutiſſimus ibis

Inter utrumque vola. inquit Ovidius: & unus è ſeptem ſapientibus μηδὲν ἄγαν, quod tam celebre factum eſt, ut illuc Comicus reſpiciens in Andria expreſſerit apprimè utile in vita *Ne quid nimis.*

Eaque re Apollodorus mediocritatem in rebus tutiorem eſſe ſcripſit μεσότητα ἐν πᾶσιν ἀσφαλέστεραν εἶναι. Agnoſcit hæc Divus Hieronymus ad Demetriadem, ſi modò Epiſtola illa Divi Hieronymi eſt, quibus adſtipulatur Epigrammatarius:

Illud quod medium eſt atque inter utrumque probamus, & parœmia πάντων μέτρον ἄριστον. Nō deſunt tamen qui opinionem hāc, licèt ab antiquis probatam, cogitarint evertere; virtuti nempe uni putantes ſuperuacaneum aſsignare duo vitia. Legerant apud Eccleſiaſtic. c. 33. n. 15. *Et ſic intuere in omnia opera Altiſsimi. Duo & duo, & unū contra unum.* Plato in Alcibiade dial. 2. inter alia hoc diſputat So. καὶ μὴν δύο γε ὑπεναντία ἑνὶ πράγματι πῶς ἂν εἴη. Alc. οὐδαμῶς, id eſt. So. *Quin etjam duo uni rei contraria eſſe quî poſſunt?* Alcib *nullo modo*. Idē Plato in Protagora: οὐκ οὖν (ἦν δ' ἐγὼ) ἑνὶ ἑκάστῳ τῶν ἐναντίων ἓν μόνον ἐστὶν ἐναντίον καὶ οὐ πολλά, hoc eſt: *Nónne dicebam ego unicuique contrariorum unum ſolum eſt contrarium, non multa?* Ariſtoteles 10. Metaph. cap. 4. φανερὸν ὅτι οὐκ ἐνδέχεται ἑνὶ πλείω ἐναντία εἶναι, id eſt, *planum eſt fieri non poſſe, ut uni plura ſint adverſa*. Ibidem cap. ſeq. ἐπεὶ δὲ ἓν ἑνὶ ἐστὶν ἐναντίον, id eſt, *ſi autem unum uni contrarium eſt*, & Philoponus, qui lib. 3. Phyſ. cap. 3. inquit: *Atqui omnis mutatio conſtituta eſt inter contraria: Sequitur incommodum ut duo eidem uniq; ſint contraria, quod quidem abſurdum eſt, quando quidem uni ſemper contrarium eſt.*

Inſuper

Inſuper addunt: *Neque enim ſi cedam, aut etjam fugiam, ero fortis; nec ſi permiſſis voluptatibus fruar temperatus, ſed alia ſunt earum rerum nomina, nec unum duobus contrarium eſt, ſed unum uni, duobus duo.* Quæ ſunt verba Lud. Vivis li. 5. de *corruptis artibus*, ubi Ariſtotelem affirmat meritò reprehendi ab Laurentio Valla li. 3. de *Voluptate*; dum vult virtutem eſſe mediocritatem & inter duo extrema cum utroque pugnare. Quam opinionem, ſuppreſſo tamen ejus nomine, ſequitur Franciſcus Valleſius libro de *Sacra Philoſophia*, cap. 75. Longè tamen fefellit eos cacoëthes ſcribendi. Nam licèt unum uni contrarium ſit, hoc verum eſt quãdo illud ita eſt adæquatum, ut ſecundùm totam latitudinem ejus ei opponatur. At verò quando virtus habet duo vitia ſibi contraria, tunc neutrum ei opponitur adæquatè, id eſt, ſecundùm totam latitudinem materiæ & actuum ejus, nec adverſatur perfectè virtus alteri vitiorum: Pro cujus rei explicatione notabis Medium eſſe duplex; vel enim eſt τοῦ πράγματος *rei*, vel πρὸς ἡμᾶς *quoad nos*, & hoc medium appellatur medium *perſonæ*. *Medium* autem *rei* nuncupatur illud, quod animadvertimus tantùm juxta reſpectum rerum earum, pro qualitate medii diſtantis æqualiter à ſuis extremis. Verbi gratia: Centrum circuli dices eſſe punctum in circulo medium, illud autem à circumferentia circuli diſtat æqualiter. Atque

ejuſmodi *medium rei* certè habet proportionem arithmeticam, in qua quidem termini ſemper à ſe mutuo diſtant æqualiter, alter enim alterum unitate excedit ſola. At *medium*, quod diximus *perſonæ*, eſt quod pro perſonarum ratione non habet plus vel minus, etſi non in omnibus perſonis ſit unum & idem: idq́ue propter perſonarum, aut aliarum etjam circunſtantiarum varietatem. Atque hoc medium dices habere proportionẽ Geometricam, in qua non ſimplex vel nuda ſpectatur, aut ſervatur æqualitas, ſed ſpectatur ſimilitudo rerum pro circunſtantiarum varietate, ut quando major merces datur ei, qui integrum diem laboraverit, quàm ei, qui unam, aut duas ſolas horas laboravit. Hujus medii Ariſtoteles affert exemplum ex arte γυμναστικῇ στροφῇ, in qua ipſi præfecti athletarum certam menſuram cibi ſuis athletis præſcribere ſolebant, eandem quidem omnibus, ſed habita tamen ratione virium, & valetudinis, roboris, corporis: itaque Miloni robuſtiſsimo athletę major quantitas cibi pręſcribebatur, quàm tyroni alicui, qui non eſſet corpore tam robuſto præditus. quemadmodum etjam ſervant adhuc iſtam proportionem medici, quòd nimirum non eandem quantitatem in medicamentis præſcribunt ægrotis, & ſanis; pueris, & adultis: ſed vires & robur uniuſcujuſque obſervant, prudenter. Nam ſi medicina exhiberetur puero in tanta quã-

titate,

tate, quanta poſſet adulto firmiorumque virium præſcribi, læderetur magis quam ſanaretur. Si quæras ergo quodnam medium habeat locum in virtute, & virtutum actionibus. Ariſtotelis ad hoc reſponſum habes; virum nempe prudentem in actionibus debere extrema fugere, id eſt, *nimium*, &, *parum*, nec non eligere *medium perſonæ*, quod ſibi & ſuæ conditioni, aliiſque circunſtantiis accommodatum ſit. Neque enim eadem vel liberalitas vel prudentia, vel temperantia, vel fortitudo ſimpliciter ab omnibus poſtulari poteſt: ſed hîc conſideranda eſt qualitas & conditio perſonarum: Major enim liberalitas in divite quàm in paupere, Cæſare quàm in Principe requiritur. Sic temperantia major in ſtudioſo requiritur, quàm in milite, in muliere quàm in viro: major in Conſule prudentia, quàm in Senatore. ut & in Hectore majorem aſsignat Homerus fortitudinem quàm in Paride. Idemque de aliis circũſtantiis ſtatuendum; cùm in templo major requiratur reverentia quàm in foro, & in tempore luctus major ſobrietas, quàm tempore gaudii exigatur. Cùm igitur liberalitas in medio poſita ſit & tum ad dandum, tum ad retinendum inclinet; avaritia autem non repugnet in omnibus actibus liberalitati, ſed in uno tantùm in quo conſiſtit largitio bonorum; prodigalitas verò è contrariò deſtruat bonorum retentionem, quàm ſuggerit liberalitas; dicendũ

 eſt

eſt avaritiam & prodigalitatem ſecundùm diverſas rationes opponi Liberalitati. Vnde non duo uni, nec unum duobus contrarium eſt adæquatè. nam ſi fingamus liberalitatem tantùm verſari circa dandum, tunc adæquatè contrarium eſſet avaritia. Fingamus iterum verſari ſolùm circa retinendum, Tunc prodigalitas perfectè liberalitati contrariaretur, quò videas avaritiam liberalitati tantùm opponi perfectè, in quantum hæc inclinat ad dandum; ſed quatenus inclinat ad retinendum, vitium eſſe quod ſpecie recti nos decipit: ſicque videri affine virtuti. Quare difficile eſt diſtinguere parcum ab avaro in retinendo; ut prodigum à liberali in erogando

Fallit enim vitium ſpecie virtutis & umbra. ait Iuvenal. Sat. 14. ver. 110. Sic Quintilian. lib. 8. *Inſtit. Orat.* cap. 3. *Eſt enim,* inquit, *quæ* περιεργία *vocatur, ſuper vacua, ut ſic dixerim, operoſitas, ut à diligenti curioſus, & à religione ſuperſtitio diſtat.* utrumque exemplum confirmo. primum ex celebrando Vlpiani reſponſo, licet uſque adhuc, ut ingenuè dicā, accepto malè in L. *ſi bene collocata.* 33. π. de *Vſuris.* ubi *curioſitatim* à *diligētia* diſcriminat his verbis: *dummodo non acerbum ſe exactorem, nec contumelioſum præbeat; ſed moderatum, & cum efficacia benignum, & cum inſtantia humanum: Nam inter inſolentiam* [legunt aliqui *ſolertiam*] *incurioſam* [lege omninò *curioſam*] *& diligentiam*

non

non ambitioſam multùm intereſt. & *ambitioſam,* dices, id eſt, *affectatam.* ſcripſi ad Martial. *Epiſt. lib.* 1. *nu.* 7. Secundum exemplum invenies apud Senecam, qui hinc intelligendus, li. 2. de *Clem.* c. 5. in princ. *Ergo quemadmodum religio Deos colit, ſuperſtitio violat, ita clementiam & manſuetudinem omnes boni præſtabunt, miſericordiam autem vitabunt.* Sic *pietati* adverſatur Hypocriſis, idq́ue ſolius prudentis munus eſt virtutem à vitio ſeparare: virtutes ita vitia mentiuntur, ut ſtannum argentum; & aurichalcum aurum, & ut ait D. Iſidorus (qui hæc latiùs diſputat li. 2. de *ſummo bono,* c. 34. & 35.) *Tali igitur exemplo vitia ſpecies virtutum imitantur, & tamen ſe nonnulli juſtos eſſe confidunt, unde maximè reprobantur.* Aptum exemplum vitiorum de latronis ſpecie ſumitur; Nam ſicut ex inſidiis latro prodit, ſeq́ue iter agentibus jungit, fingens ſe addere ſocium donec decipiat improviſum, ac demum latro manifeſtus oſtenditur; ita ſe immiſcent periculoſè virtutibus vitia, ut anima, quæ ſibi placebat de virtute deceptam, ſe vitijs implicatam inveniat. Horatius in Arte docet idem:

Maxima pars vatum (pater & juvenes patre digni)
Decipimur ſpecie recti: brevis eſſe laboro;
Obſcurus fio; ſectantem levia, nervi
Deficiunt, animiq́; profeſſus grandia, turget;

Serpit humi tectus nimium timiduſq́ procellæ,
In vitium ducit culpæ fuga ſi caret arte,&c.

Idem Horatius in hanc ſententiam lib. 2. Epiſt. 2.

Scire volam quantum ſimplex hilariſq́ nepoti
Diſcrepet; & quantum diſcordet parcus avaro.

Ovidius lib. 1. de *rem.amor.* verſ. 323.

Et mala ſunt vicina bonis, errore ſub illo
Pro vitio virtus crimina ſæpe tulit.
Quam potes in pejus dotes deflecte puellæ,
Judiciumq́ brevi limite falle tuum.
Turgida ſi plena eſt, ſi fuſca eſt nigra vocetur.
In gracili macies crimen habere poteſt.
Et poterit dici petulans, quæ ruſtica non eſt,
Et poterit dici ruſtica, ſi qua proba eſt.

quibus verſibus imitatur Lucretium li. 4. *Rerum Natur.* ubi animantium errorem illum pluribus perſequitur verbis. Nempe amaſiarum ab ipſis maculam vel nævum ita diſsimulare, ut ſpecie recti iiſmet, extenuantes, alterantes levioribus nominibus vitia, delectari videantur.

Nec ſua, (inquit) *reſpiciunt miſeri mala maxima ſæpè.*
Nigra μελίχρους *eſt: immũda & fœtida* ἄκοσμος:
Caſia παλλάδιον: *nervoſa, & lignea* δορκάς.
Parvula, pumilio : χαρίτωμία, *tota merum ſal:*
Magna, atque immanis, καλάπληξις *plenaq́ honoris:*
Balba, loqui non quit, τραυλίζει; *muta, pudẽs eſt:*

At

At flagrans, odioſa, loquacula λαμπάδιον fit.
Iχνὸν ἐρωμένιον tum fit, quem vivere nonquit;
Præ macie ῥαδινὴ vero eſt. jam mortua, tuſſi.
At gemina, & mammoſa, Ceres eſt ipſa ab Iac-
cho.
Simula σιλωνὴ, ac ſatyra eſt: labroſa φίλημα.

Valde ad guſtum meum Tullius in Partit. Orat. *cernenda ſunt*, ait, *diligenter, ne fallant nos ea vitia, quæ virtutem videntur imitari. Nam & prudentiam malitia, & temperantiam immanitas, in voluptatibus aſpernandis, & magnitudinem animi ſuperbia in animis extollendis; & integritatem deſpicientia in contemnendis honoribus & liberalitatem effuſio, & fortitudinem audacia imitatur; & patientiam duritia immanis; & juſtitiam acerbitas, & religionem ſuperſtitio, & lenitatem mollitia animi, & verecundiam timiditas; & illam diſputandi prudentiam concertatio captatioq́ue verborum, & hanc oratoriam vim inanis quædam profluentia loquendi.* Seneca ſubſcribit Ciceroni in d. li. de *Clementia* cap. 4. circa fin. *Hanc* [*crudelitatem*] *clementia repellit longiùs à ſe. Nam ſeveritatem illi convenire certum eſt; Ad rem pertinet hoc loco quærere quid ſit miſericordia: plerique ut virtutem eam laudant, & bonum hominem vocant miſericordem. Hæc autem vitium animi eſt: utraque circa ſeveritatem, & circa clementiam poſita ſunt. Quæ vitare debemus ne per ſpeciem ſeveritatis in*

crudelitatem, néve per ſpeciem clementiæ in miſericordiam incidamus. In hoc leviore periculo erratur, ſed par error eſt à vero recedentium. obiter per occaſionem animadverte Senecam de *Miſericordia* loquutum Stoicorum dogmate: quem explicat D. Thomas ſecunda ſecundæ de *Clement. & mãſuetud.* quæ. 157. & de *Crudelitate*, quæ. 159. Conceptis verbis idem Philoſophus, & ex formula ad rem. Epiſt. 114. *Dabo inquam*, ait, *maximæ famæ [viros] & inter admiranda propoſitos, quos, ſi quis corrigit, delet. Sic enim vitia virtutibus immixta ſunt, ut illas ſecum tractura ſint. Adjice nunc quod oratio certam regulam non habet conſuetudo illam civitatis, quæ, nunquam in eodem diu ſtetit, verſat; multi ex alieno ſæculo petunt: verba duodecim tabulas loquuntur. Gracchus illis & Craſſus, & Curio nimis culti & recentes ſunt: ad Appium uſque & Coruncanum redeunt. Quidam contra, Dum nil niſi tritum & uſitatum volunt, in ſordes incidunt*, &c. guſtum tibi dare volui tota his contexitur Epiſtola. Dixerat epiſtolâ 45. *Vitia nobis ſub virtutum nomine obrepunt*: TEMERITAS *ſub titulo* FORTITVDINIS *latet*, MODERATIO *vocatur* IGNAVIA, *pro* CAVTO TIMIDVS *accipitur. In his magno periculo erratur: his certas notas imprime.* Exclamauerat jam Primus in Hiſtoria Romana Salluſtius ſub perſona M. Porcj Catonis in bello Catilinario his verbis: *Hîc mihi quiſquam*

quiſquam manſuetudinem, & miſericordiam nominat? Jam pridem equidem nos vera rerum vocabula amiſimus: Quia bona aliena largiri, liberalitas; malarum rerum audacia, fortitudo vocatur; eo Reſpublica in extremo ſita eſt. Iureconſulti etjam eam agnovêre veritatem, dum apertis reſponſis ſub prætextu virtutis vitium latere manifeſtant, & ſpecie recti nos decipi, Calliſtratus in L. *obſervandum.* 19. π. de *Off. Præſid. Obſervandum,* inquit, *Jus reddenti, ut in adeundo ſe facilem præbeat, ſed contemni non patiatur.* & paulò pòſt: *nam ex converſatione æquali contemptio dignitatis naſcitur,* & in §. 1. *Sed neque in cognoſcendo excandeſcere adverſus quos malos putat, neque precibus calamitoſorum illachrymari oportet, id enim non eſt conſtantis & recti judicis, cujus animi motum vultus detegit.* Vlpian. in L. *illicitas exactiones.* 6. §. *illicita miniſteria.* 3. eo. tit. de *off. Præſid.* & *ſub ſpecie tributorum illicitas exactiones fieri prohibeat* [*Præſes*]. Innuit etjam hoc Divus Gregorius li. 20. *Moral.* cap. 6. circa medium his verbis: *Sit amor, ſed non emolliens; ſit rigor, ſed non exaſperans; ſit zelus, ſed non immoderatè ſæviens; ſit pietas, ſed non plus quàm expediat parcens.*

Propono itaque tabulam Ariſtotelicam & noſtram, addita inſuper interpretatione, ut viciſsim ſibi lucem præbeant. In noſtra virtutum actus diviſi, necnon & vitia ita, ut ſi de vno ordine promas

vitium, & ex altero virtutem vitium virtuti contrarium adæquatè reperias; Nempe quo ad actus exercendos. Si tamen ipſum illud vitium, quod prius propoſuiſti, non opponas virtuti quàm in ordine contrario ſitam repereras, ſed illi, quæ eſt in ipſomet ordine illius vitii, diſcriminabis vitium à virtute, quæ ſub recti prætextu decipit, & certè deſipientem facit. Et à contrario idem erit. Exemplum petes ex tabula.

¶ Sume tabulam. Virtus circa pericula, quæ fortitudo eſt, inclinat ad ſubeunda & vitanda pericula. Vis ſubire? eris fortis, & ſecundum hunc actum timidus adverſatur adæquatè forti. Vis vitare? cautus eris, cui ſub ſpecie recti timidus aſſimilatur. Converte ordines. Vis inquam vitare? cautus eris, cui adverſatur, ſecundum hunc actum, adæquatè furioſus vis ſubire? fortis eris, cui ſub ſpecie recti furioſus venit ſimilis.

TABVLA NOSTRA

Circa pericula			
Subeunda		Vitanda	
Furioſus	Fortis	Cautus	Timidus
Circa voluptates corporeas			
Sectandas		Fugiendas	
Impotentia	Temperantia	Continentia	Senſus expertes
In facultatibus & ſumptibus			
Erogandis		Retinendis	
Effuſio	Liberalitas	Parcus	Avaritia
Idem in rebus magnis			
Erogandis		Retinendis	
Nimius ſplendor	Magnificentia	Elegantia	Sordes
In honoribus ſublimib.			
Sectandis		Contemnendis	
Elatio animi	Magnitudo animi	Integritas	Puſillus animus
Idem in rebus parvis			
Sectandis		Contemnendis	
Ambitioſus	Modeſtia	Humilitas	Deſpectus
In Ira			
Exercenda		Remittenda	
Crudelitas	Severus	Lenitas	Lentitudo
In Veritate			
Promenda		Celanda	
Arrogantia	Verax	Diſſimulatio	Veteratores
In Iocunditate circa jocum			
Admittenda		Repudianda	
Scurrilitas	Vrbanitas	Severus.	Ruſticitas
In Iocundis ſerijs			
Admittendis		Repudiandis	
Paraſitus	Facetus	Gravis	Aſperitas
In Negotijs tractandis			
Invadendo		Abſtinendo	
Impudens	Sollicitus	Verecundus	Pavidus
Quæ alteri accidunt			
Commoda		Incommoda	
Invidentia	Aemulatio	Indignatio	Malevolentia
In Iure & Iuſtitia			
Adminiſtrando		Minuendo	
Acerbitas	Iuſtitia	Manſuetudo	Iniquitas

Hæ tabulæ ponendæ ſunt fol. 108. & 109.

TABVLA ARISTOTELICA.

	Exceſſus	Medium	Defectus
In periculis	Audax	Fortitudo	Ignavia
In voluptatibus	Intemperans	Temperantia	Senſus expers
In dandis pecunijs	Effuſio	Liberalitas	Avaritia
Idē in rebus magnis	Nimius ſplēdor	Magnificentia	Sordes
In honoribus magnis	Elatio animi	Magnitudo animi	Puſillus animus
In Honoribus	Ambitioſus	Modeſtia	Vacuus ab honore
In Ira	Iracundia	Lenitas	Lentitudo
In Veritate	Arrogantia	Veritas	Diſſimulatio
In jocunditate jocoſa	Scurrilitas	Comitas	Ruſticitas
In jocunditate ſeria	Aſſentatio	Amicus	Moroſus
In perturbationibus	Pavidus	Verecundus	Impudens
In perturbationibus	Invidentia	Indignatio	Malevolentia
In jure adminiſtrādo	Plus	Iuſtitia	Minus.

EXPOSITIO TABVLÆ
De
FORTITVDINE.

¶ In periculis ſubeundis qui timoris vacuitate agit caret nomine, ut ait Ariſtoteles, ſed dicatur μαινόμενος, id eſt, *furioſus* vel *præceps*.
Qui verò fidendo agit θράσος ſive θρασὺς, id eſt, *audax*, vel *arrogans*. Horat. lib. 1. Car. Od. 3.

audax omnia perpeti
Gens humana ruit per vetitum nefas.

¶ *Fortitudo*, ἀνδρεία *fortis. conſtans.* Iuvenalis Satyr. x. verſ. 357.

Fortem poſſe animum, & mortis terrore carentem.

Horat. de viro bono lib. 2. Sat. 7. verſ. 86.

Fortis, & in ſeipſo totus teres, atque rotundus.

Ariſt. lib. 3. Ethic. cap. 6.

¶ *Cautus* εὐλαβής Cic. 4. Tuſcul. *à malis natura declinamus, quæ declinatio, ſi cum ratione fiat, cautio appellatur. Quæ autem ſine ratione, metus.*
¶ *Timidus* δειλός. *metuens. pavidus. ignavus.* Virg. lib. XI. Æneid.

vel cum ſe pavidum contra mea jurgia fingit.

Idem li. 4. Georg. & li. 1. Æneid.

Ignavum fucos pecus à præſepibus arcent.

DE VOLVPTATE CORPOREA.

¶ *Impotentia* ἀκολασία. *Intemperantia. guloſus* in apparatu *Nimius ſplendor.* Horatius ubi de Cleopatra li. 1. Carm. Ode. 37.

Contaminato cum grege turpium
Morbo virorum quidlibet impotens
Sperare ——

& ipſe Horatius ſæpè vocat *Nepotem*, & *Luxuriam.*

¶ *Temperantia.* σωφροσύνη. *Elegans. Lautus.* Ariſtotel. li. 3. Ethic. cap. 10.

¶ *Abſtinentia. continentia*, ἀποχή. *Caſtitas.* ἐγκράτεια, ἁγνός *Caſtus.*

¶ *Senſus expertes.* ἀναίσθητοι. Cic. in Partic. *Temperantiam imitatur immanitas quædam in voluptatibus aſpernandis.* Alibi vocat *ſine ſenſu.* Martialis lib. 10. epig. 19.

Tunc me vel rigidi legant Catones.

Ariſtoteles non dat nomen.

DE FACVLTATIBVS.

Ariſtot. lib. 4. Ethic. cap. 1.

¶ *Effuſio. Profuſio. Luxuria*, ἀσωτία. Cic. 4. Fin. & dixi ad Martialem lib. 4. epig 9.

¶ *Largitas. Liberalitas.* ἐλευθεριότης. *Elegans.* Cornel. in vita Attici. *Elegans, non Magnificus:*

Splen-

Splendidus, non Sumtuoſus: omni diligentiâ munditiam non affluentem affectabat.

¶ *Parcus*. φειδωλός. *Frugi*. Iuvenal. Satyr. 14. verſ. 112.

——tanquam frugi laudatur avarus.
Tanquam parcus homo—

& Horatius li. 2. Epiſt. 2. verſ. 194.

——Et quantum diſcordet parcus avaro.

¶ *Avaritia. Tenacitas.* ἀνελευθερία. *Illiberalitas. Triſtis. Tenax.*

DE FACVLTIBVS ET SVMTIBVS MAGNIS.

Ariſtoteles Ethic. lib. 4. cap. 2.

¶ Nimius *Splendor. Inſolentia. Elegantiæ inſcitia,* vel *Imperitia.* ἀπειροκαλία. βαναυσία. *Luxus.* Operaria quędam in ſumtu faciendo *Inſolentia.*

¶ *Magnificentia.* μεγαλοπρέπεια. *Lauti. Lautiores. Sumtuoſiores. Splendidi.*

¶ *Mundi. Elegantes.* καθαρόι. φιλοκαλόι. Horat. *Mundus erit qui non offendet ſordibus, atque in neutram partem cultus miſer.* Cicero in Bruto. *Nam in epularum apparatu à magnificentia recedens, non ſe parcum ſolùm; ſed etiam elegantem videri volet.*

¶ *Sordis.* μικροπρέπεια. *Indecora in ſumtu Parſimonia.* Quintil. lib. 6 Inſt. Orator. cap. 3 & 4. *ut Junius*

nius Baſſus quærente Domitia Paßieni, quod incuſans ejus ſordes, calceos eam veteres diceret vendere ſolere. Non mehercule, inquit, *hoc unquam dixi: ſed emere te ſolere.* Martialis hinc intelligendum ambiguum acumen li. 1. epig. 100.

——abiſti
Intantum, miſer, eſuritionem,
Vt convivia ſomnioſiora,
Toto, quæ ſemel apparas in anno,
Nigræ ſordibus explices moneta.

Sordibus. dixit, quod ea moneta ſordeat, ut ſcripſi ad illum locum num. 6. & dicam ad li. 5. epig. 16.

Et fiet vario ſordidus ære ſinus.

& quòd immoderata parſimonia laboraret Calenus. Eleganter Horatius li. 1. Satyr. 6. qui *Avaritiam*, & *Sordes* diſcriminavit. verſu 68.

Si neque Avaritiam, neque Sordes, ac mala luſtra
Objiciet verè quiſquam mihi.

bellè Auſonius in epicedio in patrem ſuum Auſonium Edyllio 30.

Non locuples nec egens: parcus ſine ſordibus egi.

DE SVBLIMIBVS HONORIBVS.

Ariſtot. Ethic. lib. 4. cap. 3.

¶ *Elatio* animi. *Laxitas* animi. χαυνότης. Cic. in Partit. *Magnitudinem animi. Superbia in animis extollendis imitatur.*

¶ *Magni-*

¶ *Magnitudo* animi. μεγαλοψυχία. domat iraſcibilem & concupiſcibilem in bonis appetendis, & malis fugiendis.

¶ *Integritas. Sanctitas.* ὁλόκληρος.

¶ *Parvus* vel *Puſillus animus.* μικροψυχία. *Humilis, & demiſſus animus.* Cicero Partit. *Deſpicientia in contemnendis honoribus, animi Magnitudinem imitatur.*

IDEM IN REBVS PARVIS.

Ariſtot. lib. 4. Ethic. cap. 4.

¶ *Superbus. Ambitioſus.* φιλότιμος.

¶ *Modeſtia,* caret nomine. κλυτός. *Inclutus.*

¶ *Humilitas.* ταπείνωσις. *Verecundia. Negligentia ſui ipſius.*

¶ *Deſpectus:* ἀφιλότιμος. *Contemtor honoris. Vacuus ab honoris ſtudio.*

IPA. ΘΥΜΟΣ. PVNITIO. VINDICTA.

Ariſtot. lib. 4. Ethic. cap. 5.

¶ *Iracundia. Crudelitas. Excãdeſcentia.* ὀργιλότης.

¶ *Severus,* caret nomine. ἀνεξίδοτος. *Nihil condonans.*

¶ *Lenitas. Clementia. Manſuetudo.* πρᾳότης.

¶ *Lentitudo.* animi *Mollities.* ἀοργησία. Cic. 2. Or. *Sed quia cauſſam non libenter relinquo, nimium patiens, & lentus exiſtimor.*

IN VERITATE PROMENDA VEL CELANDA.

Ariſtot. lib. 4. Ethic. cap. 7.

¶ *Arrogantia. Iactantia.* ἀλαζονεία. *Procacitas vocis.* Horat. Epiſt. lib.
Scilicet ut non ſit mihi prima fides, &c.
¶ *Veritas.* ἀλήθεια. *Verax. Libertas.* Horat. lib. 1. Epiſt. 18. verſu 8.
Dum vult Libertas mera dici, veraq; virtus.
¶ *Diſſimulatio.* εἰρωνεία. Quintil. lib. 2. cap. 9. *Socrates dictus eſt* εἴρων, *id eſt, agens imperitum, & aliorum admirator, tanquam ſapientum.*
¶ *Veteratores. Glorioſi.* βαυκοπανοῦργοι. Virgil. dicto lib. 11. Æneid.
Vel cùm ſe pavidum contra mea jurgia fingit.
Si non Virgilianus.

IN IOCIS CIRCA RIDICVLA.

Ariſtoteles lib. 4. Ethic. cap. 8.

¶ *Scurra:* ſi emolumẽti cauſſa ducitur. βωμολοχία
¶ *Vrbanitas. Facetus.* εὐτραπελία.
¶ *Severus.* Triſtis. σεμνός.
¶ *Ruſticitas. Agreſtis.* ἀγροικία. *Inſulſus.* Horat. lib. 1. Epiſt. 18.
Aſperitas Agreſtis, & inconcinna, graviſq;.

Quintil.

Quintil. lib. 6. cap. 3. Inſt. Orat. opponit Ruſticitatem Vrbanitati, ſub diverſo tamen genere. *Denique*, inquit, *cui* [urbanitati] *contraria ſit Ruſticitas.*

IN IOCVNDIS SERIIS.

Ariſtotel. lib. 4. Ethic. cap. 6.

¶ *Paraſitus.* κόλαξ. *Adulator. Aſſentator* κακολακία. *Scurra*, ſi emolumenti cauſſa ducitur.
¶ *Affabilis. Facetus. Humanus.* φίλος. *Blandus.* Si nulla utilitate ducitur ἄρεσκος. id eſt, placendi ſtudioſus.
¶ *Gravis.* βαρὺς. *Triſtis.*
¶ *Difficilis. Aſper. Agreſtis.* δύσκολος. διχερής. in contentionibus *Pugnax.*

IN TRACTANDIS NEGOTIIS.

¶ *Impudens.* ἀναίσχυντος.
¶ *Sollicitus. Agilis.* πρακτικός. Horat. li. 1. Epiſt. 1. verſu 16.

Nunc agilis fio, & merſor civilibus undis.

id eſt, nunc ſollicitus ſum de Reip. adminiſtratione, à qua Stoici & Peripatetici ſapientem non avocabant.
Civiles enim *undæ.* Cum Reipublicæ & munera, quæ Iureconſultis *officia civilia*. l. 2. D. de Reg.

 juris.

juris. l. *munerum civilium*. 18. §. *Hæc omnia*. D. de muneribus & honoribus. Appoſitiſsimè Cornelius Nepos in fragmento illo aureo de Attici vita. *In Reip. ita verſatus eſt, ut ſemper optimarum partium, & eſſet, & exiſtimaretur. Neque tamen ſe* CIVILIBVS FLVCTIBVS *committeret, quod non magis eos in ſua poteſtate exiſtimabat eſſe; qui ſe iis dediſſent, quàm qui maritimis jactarentur.*

Iterum Horatius li. 1. epiſt. 18. verſu 89.

Oderunt hilarem triſtes, triſtemq́ue jocoſi;
Sedatum celeres, agilem, gnavumq́ue remiſsi.

¶ *Pudens. Verecundus.* αἰδήμων.

¶ *Pavidus. Timidus.* καταπλήξ. *Remiſſus.*

Horatius in Arte, verſu 171.

Vel quod res omnes timidè gelideq́ue miniſtret.

IN ALTERIVS FORTVNIS.

¶ *Invidentia.* Φθόνος.

¶ *Aemulatio.* Ζῆλος. Cic. 4. Tuſc.

¶ *Indignatio.* Νέμεσις.

¶ *Malevolentia.* ἐπιχαιρεκακία.

IN IVRE ADMINISTRANDO vel MINVENDO.

¶ *Summum Jus. Auſteritas. Acerbitas.* στρυφνότης.

Terentius

Terentius acto. 4. Scen. 5. Heautontim.

—— num illa oppignerare filiam
Meam me invito poſuit? verum illud Chreme
Dicunt. IVS SVMMVM *ſæpe ſumma mali-*
tia eſt.

Crudelitas. Sævitia. Eccleſiaſt. cap. 7. num. 17. *Noli eſſe multum juſtus:* ad quem locum eruditè Franciſcus Noſter Valeſius in libro de *Sacra Philoſophia.* Et diximus latè in Miſcellaneis Iuris verbo. *Summum Jus.*

¶ *Moderatio. Manſuetudo.* ἐπιείκεια. *Aequum.* & *Bonum. Indulgentia* Pietatis, *Lenis* animus.

¶ *Iniquitas. Injuſtitia.* ἀδικία. Injuſtum eſt, quod contra Leges eſt. *Remiſſa mollitia* animi. Segnitie torpens *Negligentia.*

IVSTITIAE PARTES
ſeu
FORMAE.

¶ *Relligio.* quæ Deo debitum cultum tribuit.

¶ *Pietas.* quæ parentibus, liberis, ſanguineque conjunctis debita præſtat officia.

¶ *Obſervantia*, qua Superiores colimus.

¶ *Fidelitas*, ſeu *Fides.* in rebus contrectandis verſatur, & æquitatem ſervat.

¶ *Gratitudo*, ſeu *Gratia.* officiorum, & beneficiorum Relatio.

Cœna duplex. ἔρανοι. *Symbolum*. Eranarcha *lex Codicis emendata.* Miſſa. *convivium collatitium.* colacion. *aſymbolus. immunis. Martialis explicatus. Symbolum Apoſtolorum. locus Proverbiorum illuſtratus. comeſſalia. conferta. Sacri Canones explicati.*

CAPVT XI.

FErculum tibi exhibeo, quod mihi miniſtravit quidam mos in conviviis Romanorum obſervatus. O utinam ſuaviſsimum epulum! Duplex erat apud Græcos & Romanos cœnarum genus. Alterum earum, quæ Convivatoris ſumtu apparatæ. Alterum illarum, in quas ſuam quiſque convivarum partem conferebat. De poſterioribus nunc agendum, quæ à Græcis ἔρανοι appellatæ. Suidas ἐρανός ἡ ἐκ κοινοῦ ἑστίασις Euſtath. ad Od. α. qui referens triplici more antiquos ad epulas conveniſſe, ultimo loco cœnas ex collatione collocat, illis verbis: καὶ ἐν ἐράνῳ, & ait: καὶ ὁ μὲν ἔρανος κόσμιον, καὶ οὐδὲ πολυτελὲς ἀλλὰ, καὶ φειδωλῶς ἤσθιον ὡς τὰ πολλὰ ἐρανισταὶ ὡς ἂν ἴδιον ἐσθίοντες ἕκαστος. id eſt, *cœna collatitia moderata erat, atque frugalis minimeq́ ſumtuoſa. Plerunque etjam parcè eraniſtæ comedebant, cùm quiſque ſuo frueretur*, & ἔρανον definit, τὴν ἀπὸ κοινῆς συμβολῆς ἤγουν καταβολῆς, καὶ δαπάνης πολλῶν τινῶν εὐωχίαν, *convivium multorum ex communi collatione*

atque

atque ſumtu. Ex ſymbolis hoc convivium: ſymbolum namque erat portio pecuniæ, vel eſculentorum poculentorúmve, quam quiſque convivarum ſecum afferebat: à verbo συμβάλλω *confero.* Euſthat. ad od. α. verſu 40. Plautus in Curcul.

Symbolorum collatores ad forum Piſcarium.

Terentius in Andria Act. 1. Scen. 1. verſu 61.

——— *Symbolum*
dedit, cœnavit.

Idem in Eunucho act. 3. Scen. 4. verſu 2.

Heri aliquot adoleſcentuli coïmus in Piræo
In hunc diem ut de ſymbolis eſſemus: Chæream eiroi
Præfecimus —

Tributis etjam colligendis præfectum ἐρανάρχην nuncupatum reperio, tàm apud Laërtium, quàm Artemidorum, ac plures: Et Laërtius quidem refert Diogenem olim *Eranarcham* Homerico carmine compellaſſe.

Τοὺς ἄλλους ἐνάριζ', ἀπὸ δ' Ἕκτορος ἴσχεο χεῖρας.

Deſpolia reliquos ſed ab Hectore contine manus. cujus dicti feſtivitas in hoc eſt, quod pro ἐράνιζε dixit ἐνάριζε. quorum prius eſt *da ſtipem*; alterum *armis ſpolia* ſignans ſe nomine *Hectoris.* Et clare innuens hoc Præfectorum genus tunc ad furandum pronius eſſe. Hinc monui ego ad *L. ſuper creandis.* 9. de *Iure fiſci lib.* 10. *Codicis*, non *Irenarcham* legi debere, quidquid vel Delrius meus, vel ex Antiquis

tiquis & aliis Cujacius ibi dicant, aut edicant; ſed omnino ſcribo & reſtituo *Eranarcham*, hoc eſt, Præfectum colligendo Erano, ac ſtipi Provincialium. Sicque cenſebis Lector, ſi perpendas Artemidorum *lib.* 1. *Oneivocrit. cap.* 18. *&* 37. ubi tractans de eo, qui in ſomnijs magnum ſe habere caput exiſtimaverit, ait bonum eſſe viro, qui nondum magiſtratum geſsit, itemque fœneratori, nummulario, & Erano colligendo Pręfecto, quem Græcè vocat ἐρανάρχην. Quid enim commune habet Præfectus ſymbolis convivii colligendis, cum iis de quibus agit Artemidorus: de Eranarcha autem conviviorum, ſic ait Scholiaſtes Homeri ad verba ὀδυσς. A.

——τίπτε δὲ σε χρεώ,

Εἰλαπίν', ἠὲ γάμος, ἐπεὶ οὐκ ἔρανος, τί δ' ἐστίν.

ὁ ἔρανος, inquit, ὡς ἕκαστος τὶ κομίσγεν, τὸ ἀπὸ συμβολῆς δεῖπνον. De ſymbolis Philo Iudæus in lib. *de vita Theoretica*, ex interpretatione Sigiſmundi Geleni, inquit, *Novi quoſdam qui hilariores facti potando prinſquam penitus ſe obruant crebris invitationibus jam tum in craſtinum proſpiciunt de ſymbolis: quia putant ſpem inebrietatis futuræ non mediocriter conducere ad præſentem lætitiam.* Eam portionem, vel mittebant, vel ſecum afferebant convivæ. Vnde vox illa *Miſſa. Miſſæ.* quaſi miſsio, ſive res miſſa; oblatio videlicet, quam in cœtum fidelium affert Sacerdos. Nam ſacrificium Miſſæ,

veri

veri Agni verum convivium: quod & Dyoniſius aliique Theologi veteres, *Synaxin* appellant, id eſt *collectam*, oblationem in beneficium fidelium à Sacerdote collatam. Cujus etymon tentavit, multa congerens eruditè Noſter Didacus de Covarruvias *lib.* 4. *variarum cap.* 22. Apud Romanos ſacrificium quoddam teſte Feſto, *collativum* vocabatur; quòd ex collationibus offerretur. Atque omitto *faciendi* verbum pro *ſacrificare*, ab antiquis uſurpatum: *Hoc facite in meam commemorationem* Lucæ cap. 22. n. 29. id eſt, *ſacrificate ſic.* Scitè Bochius *Pſalm.* 64. *n.* 15. ex *Plutarcho*, Συμπ. 8. *cap.* 8. *&* *Athen. lib.* 14. ἔρδειν, & ῥέζειν & δρᾶν obſervat pro θύειν. Nam immolaturi dicebantur ῥέζειν, quaſi magnum quid facientes, quòd ſacrificarent animal. *Operari* vocat Tullius. Monuerat ante Bochium Baronius in *Martyr. Rom. die* 9. *Aprilis, litterâ L.* Sed uſus epularum collaticiarum frequens quippe cœteris hilarior & parcior. Docuit Euſtathius loco ſuprà adducto, & Heſiodus lib. 2.

Μηδὲ πολυξείνου δαιτὸς
 δυσπέμφελος (σκληρὸς
 δυσαγωγὸς) εἶναι
ἐκ κοινοῦ πλείστη δὲ χάρις, δαπάνη τ' ὀλιγίστη, id eſt;
Neque ad convivium publicum graviter acceſſeris,
Nam ex communi plurima gratia, minimus ſumtus.

Q Hinc

Hinc parvæ cœnæ, jentacula ſive poſtcœnia. Nos Hiſpani *colaciones* vocamus. Qui verò ſymbolum non dedit, & ad convivium ibat ſine collatione; *aſymbolus*, & *immunis* vocabatur. Terentius in Phormione Act. 2. Scen. 2.

Ph. *Imo enim nemo ſatis pro merito gratiam regi*
refert.
Te ne aſymbolum venire; unctum atque lautum à balneis,
Otioſum ab animo cùm ille & cura & ſumtu abſumitur.
Dum tibi ſit quod placeat, ille ringitur, tu rides.
Prior bibas, prior decumbas, cœna dubia apparatur.

Horatius li. 4. Carm. Od. 12. verſu 21.

Ad qua, inquit, *ſi properas gaudia cum tua*
Velox merce veni, non ego te meis
Immunem meditor tingere poculis.

Hoc unum τέχνην τοῦ ἀσυμβόλως δειπνεῖν, id eſt, *artem ſine collecta cœnare*. Cteſibius Calcedonenſis ex philoſophia ſupereſſe ſibi dicebat: ut teſtatur Athenæus. Ex horum numero Gargilianus erat, de quo Martialis *libro* 3. *Epigr.* 30. Cujus Epigrammatis acumen, quamvis mea interpretatione jamdiu aſſecutus videar, nunc aliter explico: ut illam, quæ magis auctori arrideat, Lector eligat. Petit Poëta à Gargiliano rationem, qua Romæ viueret, enumeratis priùs iis, quæ ad vitam neceſſariam penſione videlicet cellæ, togâ; addit quadrantem,

qui

qui ad vitium conducit, eo namque Venus conſtabat impudica; & ait priori in verſu:

Sportula nulla datur, gratis conviva recumbis.

id eſt, cùm nulla tibi ſit ſportula, & majores amici nihil impartiantur clientibus; tuque ſis pauper; & pauperes ſine ratione Romanam urbem petant, ut dixit *lib.* 4. *Epigr.* 5. & ideo aſymbolus & gratis ſemper recumbis, paraſitorum more:

Dic mihi quid Romæ Gargiliane facis?

Gellius etjam *aſymboli*, & *immunis* uſus eſt nomine li. 6. cap. 13. *dum*, inquit, *factitatum obſervatumq; hoc Athenis eſt ab iis, qui erant Philoſopho Tauro junctiores, cùm domum ſuam nos vocaret, ne omninò, ut dicitur, immunes & aſymboli veniremus, conjectabamus ad cœnacula, non cupedias ciborum; ſed quæſtionum argutias.* Ab his collaticiis cœnis ducta metaphora, ſunt aliqui Canoniſtarum, inter quos Durandus in *rationali Divinorum.* qui putent Epitomen S. S. Religionis Noſtræ, & Fidei ſymbolum appellatum; decepti falſa nominis Etymologiâ; autumantes *ſymbolum* dici à σὺν, id eſt, *cum* & βολὸς, id eſt, *buccella*, vel *morcellus*; & ut ad illas cœnas convivæ ſinguli certas quaſdam portiones conferre ſolebant: ſic ad hoc ſpirituale epulum aſſerunt ſingulos quoſque Apoſtolos ſingula ſua capita, veluti ſymbola, contuliſſe. Cùm, licèt verum ſit ex communi Apoſtolorum conſenſu ſymbolum eſſe compoſitum, mini-

mè rationi conſonum, ut quiſque ſuam ſingulam partem contuliſſet, videlicet Petrus primam, & ſic deinceps cœteri. *Omnes igitur* [Apoſtoli] inquit Ruffinus presbyter Aquilejenſis in expoſitione ſymboli, ad Laurentium Papam: *In uno loco poſiti, & Spiritu ſancto repleti breve iſtud futuræ ſibi prædicationis indicium in unum conferendo, quod ſentiebat unuſquiſque, componunt; atque hanc credentibus dandam eſſe regulam ſtatuunt. Symbolum autem hoc multis & juſtiſſimis ex cauſſis appellari voluerunt; ſymbolum enim Græcè, & indicium dici poteſt, & collatio, hoc eſt, quod plures in unum conferant. Id enim fecerunt Apoſtoli in his ſermonibus in unum conferendo, quod unuſquiſque ſenſit.* Hinc lucem accipiunt verba Salomonis ex vulgata verſione cap. 23. num. 20. *Noli eſſe in conviviis potatorum, neque in comeſſationibus eorum, qui carnes ad veſcendum conferunt: quia vacantes potibus & dantes ſymbola conſumentur, & veſtietur panis dormitatio.* ubi LXX. μὴ ἴσθι οἰνοπότης μηδὲ ἐκτείνου συμβολαῖς κρεῶν τε ἀγορασμοῖς· πᾶς γὰρ μέθυσος καὶ ὁ πορνοκόπος πτωχεύσει καὶ ἐνδύσεται διερρηγμένα καὶ ῥακώδη πᾶς ὑπνώδης. id eſt: *Ne fueris bibax vini, neque extendas te ad ſymbolas, & carniũ emtiones. Omnis enim ebrius, & ſcortator mendicabit, & induetur diſruptis & laceris omnis ſomnolentus.* Vnde in ſacris Canonibus prohibetur hoc convivandi genus. c. *cùm oportet. 2. diſtinct.* 44. cujus ſunt verba: *Non oportet*

miniſtros

miniſtros altaris, vel quoſlibet clericos, aut etjam laicos Chriſtianos, ex ſymbolis, quæ vulgus Comeſſalia appellat, convivia celebrare. ubi vides illa ex ſymbolis convivia, *comeſſalia* appellata; quæ item *conferta* cap. *non liceat.* ejuſd. diſtinct. *Non liceat ſacerdotes vel clericos: ſed nec religioſos laicos convivia facere de confertis.*

Servi ad pedes in conviviis. A. & Ad præpoſitiones in officiis & dignitatibus ſignificandis. Spartianus explicatus. Commentarii. ὑπομνήματα. *à commentariis* ὑπομνηματόγραφος *explicata.* l. ſiquos 59. *de* Decurionibus li. 10. Codicis. *miniſtri ſerui ſtantes in cœna, & retrò: D. Lucas illuſtratus. cœnaturi ſoleas deponebant & pedes lavabant. Iudæi totum corpus.*

CAPVT XII.

ECce ſecundas menſas. bellaria appono. Ecce; Servi ad pedes Domini ſtabant in conviviis. Martial. li. 4. Ep. 66.

Nec tener Argolica miſſus de gente miniſter,
Sed ſtetit inculti ruſtica turba foci.

unde miniſter apud Latinos dictus *à pedibus*, &, *ad pedes*, Notavi id ad Martial. Epigram. 23. lib. 3.

Omnia cum retrò pueris obſonia tradas,
Cur non menſa tibi ponitur à pedibus?

& Epigram. 19. li. 7.

Miſto lagenam replet ad pedes vino.

Nunc verò addo: *Ad*, & *A*. præpoſitiones in officiis, ſeu dignitatibus ſignificandis uſurpatas. Suetonius in Claudio cap. 28. *Super hos*, inquit, *Polybiam è ſtudiis, Narciſſum ab Epiſtolis, Pallantem à rationibus; quod Decreto quoque Senatus, non præmiis modò ingentibus; ſed & Quæſtoriis, Prætoriiſq; ornamentis ornare libenter paſſus eſt*. Frontinus li. 2. de Aquæductu, *à cunctis* eum, qui præeſt reditui aquariorum, dixit, & Suetonius *à manu* amanuenſem, in Veſpaſiano cap. 23. ut Cicer. li. 2. de Oratore *ad manum*. *Licinium*, inquit, *ſervum ſibi Gracchus habuit ad manum*, nec τὸ *ad manum* hoc in loco *in promptu*, & *præ manibus* interpreteris. Verba namque Ciceronis clarè demonſtrant Licinium Graccho ab Epiſtolis fuiſſe. Spartianus in Peſcennio Nigro. *Præter milites res adminiſtrationes intimavit etiam, ut Aſſeſſores in quibus Provinciis aſſediſſent, in his adminiſtrarent; quod poſtea Severus, & deinceps multi tenuerunt; ut probant Pauli & Vlpiani Præfecturæ, qui Papiniano in conſilio fuerunt: ac poſtea cùm unus ad memoriam, alter ad libellos paruiſſet, ſtatim Præfecti facti ſunt. Ad libellos*, id eſt, magiſter ſupplicum libellorum, quem Galli nunc vocant, *Maiſtre des Requeſtes*.

Ad

Ad memoriam, id eſt, à Commentariis. Commentarii namque erant libri in quibus res memorabiles non latè neque diffuſè: ſed compendiariâ viâ, & quaſi per capita, memoriæ tantũ gratia, non plenæ narrationis deſcribebantur, à Græcis ὑπομνήματα. Colum. li. 7. c. 5. *cujus commenta, ... quæ appellantur Græcè* ὑπομνήματα, *ſub nomine Democriti falsè produntur*. unde libri Cæſaris, qui perſtrictam narrationem continent rerum in bello geſtarum, *commentarii dicti*. & ab Appiano *lib. 2 de bello civili*, referente pecuniam Cæſaris, & Actorum commentaria in ædes Antonii tranſlata ὑπομνήματα vocantur, his verbis: τῆς δ᾽ αὐτῆς νυκτὸς καὶ τὰ χρήματα τοῦ Καίσαρος καὶ τὰ ὑπομνήματα τῆς ἀρχῆς ἐς τὸν Ἀντωνίου μετεκόμιζε. In hypomnematis hiſce exſcribendis multum operæ conſumſiſſe dixit Cicero Tironi, quo ei celeriter librarium mitteret, *lib.* 16. *Epiſt.* 21. Hinc vide, & ſuſpice verſionem vulgati interpretis, qui 2. *Reg. cap.* 20. *n.* 24. *Joſaphat à commentariis tranſtulit*, ubi in Hebræo eſt MAZCID, id eſt *commemorãs*, & in LXX verſione ἀναμιμνήσκων, & in alio exemplari ὑπομιμνήσκων, ſcio ἀναμνήσεις laudationes eorum eſſe, qui militiæ, aut alibi fortiter & ſtrenuè ſe geſſerant, ut iis virtutis memoriam Imperatores refricantes, cohoneſtandos prȩmiis bene meritos ducerent. Huic curæ atque muneri præfectus ὁ ἐπὶ τῶν ἀναμνήσεων dicebatur: *Cantacuzenus lib 3. cap.* 15. *& Agathias lib* 4. qui Præ-

fectus

fectus, & olim Forſam, & in Hebræo MAZCID appellatur à Noſtro vero Interprete *à Commentariis*. Sed de his latè alibi: Hanc interpretationem appoſuit multis aliis in locis idem vulgatus Interpres, ut 3. *Reg. c.* 4. *n.* 3 *&* 4. *Reg. c.* 18. *n.* 18. Quos Commentarios libros, libros Hiſtoriarum vertit: 1. *Eſdræ cap.* 4. *n.* 15. ubi in Hebræo DACRANAIA, id eſt *monumentorum*. Quemadmodum in *Eſther cap.* 12. *nu.* 4. Græcè εἰς μνημόσυνον, ubi vulgatus *in Commentariis*, & in d. c. 4. *Eſdræ*: ἵνα ἐπισκέψῃ ἐν βίβλῳ ὑπομνηματισμάτων τῶν πατέρων σου, uti eodem libro cap. 6. num. 2. καὶ τοῦτο ἦν γεγραμμένον ἐν αὐτῷ τὸ ὑπόμνημα. Vulgatus *talisque ſcriptus erat in eo. commentarius*: & Hebraicè ad verbum: *& ſic ſcriptum intra illum, memoriale*: & 2. Machab. cap. 2. nu. 13. καὶ ἐν τοῖς ὑπομνηματισμοῖς, Vulgatus *in Commentariis*. Hinc *Commentarienſis* ὑπομνηματογράφος 1. Paralip. c. 18. n. 15. & li. 2. cap. 34. n. 8. Erat autem duplex, in Palatio unius; Alter in Eccleſia, de illo *l. ſiquos* 59. *de Decurionibus lib.* 10. *Codicis*. de hoc Procopius in *Eſaiam*: φασὶ δὲ ὡς τοῦ προφήτου τοὺς παρὰ τοῦ θεοῦ λόγους κηρύττοντος παρῆς αὐτινες οἱ λεγόμενοι ὑπομνηματογράφατα λεγόμενα σημειούμενοι. Deſcribit eum clarè Codinus: ὑπομνηματόγραφος εἰς τὸ γράφειν τὰ ὑπομνήματα. Sed unde digreſsi ſumus revertamur; Miniſtri *ad pedes* & *à pedibus* dicebantur: quia ii ad dominorum pedes. Seneca li. 3 de benefic c. 27. *ut primùm*, inquit, *diluxit ſervus, qui cœnanti ad*

pedes

pedes ſteterat, narrat quæ inter cœnam ebrius dixiſſet. Et Epiſtola. *Tunc inquit 37. poſtquam & hæc familia illi comparata eſt, cœpit convivas ſuos inquietare. Habebat ad pedes hos à quibus ſubinde cùm peteret verſus, quos referret, ſæpè in medio verſu excidebat:* & quia ad pedes, ſecus dominos erant ut eorum exciperent juſſa: Nam ii in triclinio diſcumbentes ante ſe menſas habebant; & in lectulo è terra ſublatos & extenſos pedes. Clarè Martialis lib. 3. Ep. 82.

At ille retrò flexus ad pedum turbam
Inter catellas anſerum exta labentes,
Partitur apri glandulas paleſtritis.

Ex his lucem capient verba illa D. Lucæ cap. 7. num. 38. *& ſtans retrò ſecus pedes ejus* [D. N.] *lachrymis cœpit rigare pedes ejus, & capillis capitis ſui tergebat, & oſculabatur pedes ejus, & unguento ungebat*, ubi vides mulierem illam retrò ad pedes fuiſſe: nec aliter eos abſtergeret capillis, atque unguento ungeret. Quî enim poterat D. N. recumbentis pedes apprehendere, ni à tergo acceſsiſſet; cùm ei adverſæ obſtaret menſa? Præterea obſervo *ſtetiſſe*: alio namque corporis habitu oſculari pedes D. N. non valeret; quia licèt concedamus thorum non ita altum, ut ſcalis ad diſcumbendum opus fuiſſet convivis. Cùm tamen menſas antiquas ſculptas nunc videamus pedibus longis ſuffultas; neceſſe erat, quo recumbentes convivæ in lectulis

triclinii epulas ſibi deſumere poſſent; thoros vel erectos ita è ſolo eſſe, ut convivarum pedes nemo niſi ſtans oſcularetur: præſertim ſi eos capillis cuperet abſtergere. Denique nota mulierem iſtam excalceatum inueniſſe D. N. & hoc ex more: Nam antiqui cœnaturi ſoleas deponebant Terent. in Heautontim. Act. 1. Scen. 1.

— Accurrunt ſervi ſoccos detrahunt,
Video alios feſtinare; lectos ſternere,
Cœnam apparare —

Martialis li. 3. Epigr. 50. num. 1.

Depoſui ſoleas: affertur protinus ingens,
Inter lectucas oxygariumq; liber.

ubi plura notavi: & nunc addo duo utriuſque Senecæ teſtimonia: Patris, *lib.* 9. *contr.* 2. ubi Vibius Ruffus in Flaminio accuſat, quod è conviviali lecto ſurgens hominem occidiſſet, his verbis: *Prætor ad occidendum hominem ſoleas popoſcit.* Filii. li. 3. de *Ira* cap. 18. *Deinde*, inquit, *adeò impatiens fuit* [Caligula] *differendæ voluptatis, quam ingens crudelitas ſine dilatione poſcebat; ut in Xyſto maternorum hortorum, qui porticum à ripa ſeparat, inambulans, quoſdam ex illis cum matronis, atque aliis Senatoribus ad lucernam decollaret. Quid inſtabat? quod periculum aut privatum, aut publicum una nox minabatur? Quantulum fuit lucem exſpectare? Denique ne Senatores Populi Romani Soleatus occideret. Soleatus*, à convivio recens.

Depoſitis

Depoſitis enim ſoleis lavabant, ne ſcilicet pulveroſis pedibus ſtrata lectorum inquinarent. Plautus in Perſa *locus hic tuus eſt, hìc accumbe. Ferte aquam pedibus; præben' tu puere?* Iudæi verò quia ſuperſtitioſiores, non pedes tantùm, ſed & corpus totum abluebant. Divus Marcus cap. 7. num. 4. *& à foro,* inquit, *niſi baptizentur non comedunt.* Hinc Phariſæus ille, qui Dominum CHRISTVM cœnâ exceperat, mirabatur, quòd non baptizatus eſſet antequam diſcumberet. *D. Lucas. c.* XI. *n.* 38. ὁ δὲ Φαρισαῖος ἰδὼν ἐθαύμασεν ὅτι οὐ πρῶτον ἐβαπτίσθη πρὸ τοῦ ἀρίστου, id eſt: *At Phariſæus videns admiratus eſt, quòd non prius baptizatus eſſet ante prandium.* At, qui minimè ſuperſtitionem amplectebantur, imò ab omni ſuperſtitione remoti, pro vniverſali βαπτίσει, ποδονίπτρῳ, hoc eſt, *pedilavio,* erant contenti.

Teſtatur idem Divus Lucas *cap. 7. num.* 44. εἰσῆλθόν σου εἰς τὴν οἰκίαν ὕδωρ ἐπὶ τοὺς πόδας μου οὐκ ἔδωκας. ubi D. N. objicit alii Phariſæo aquam ad pedes ſibi diſcubituro non datam. Ablutio illa ſacroſancta pedum Apoſtolorum, D. Io. c. 13. huc reſpexit: & bellè expreſsit antiquum hunc morem D. N. allocutio ad D. Petrum, qui poſtquam negavit futurum unquam, ut ſibi pedes ablueret CHRISTVS; territus minaci ejus reſponſo dixit: ſe non ſolùm pedes, ſed & caput, & manus abluendas offerre. Quæ audivit Petrus à Domino hæc

ſunt verba: *Qui lotus eſt, non indiget niſi, ut pedes lavet, & eſt mundus totus.* Quibus ad duplicem illum morem priſcum videtur alluſiſſe; abluendi ſcilicet corporis, & pedum: Docens, eum, qui ſpiritualiter mundus eſt, hoc eſt, cui jam peccata remiſſa ſunt, non indigere niſi ut pedes lavet.

Itaque rationi conſentaneum fuit, rogatum D. N. à Phariſæo ut manducaret cum illo, eodem apparatu & more, quo Phariſæus, accubuiſſe.

Servi præcincti linteo in conviviis. Lictores unde dicti? D. Joannes explicatus. σάβανον quid? Servus miniſter περιζωσάμενος. διακονέω. διάκονος. Mercurius διάκονος nominatus.

CAPVT XIII.

ANalecta colligo, fortè primis in menſis apponenda. Veſtes laxę & fluitantes ne in cauſſa eſſent quò minùs expeditè ſervi miniſtrarent in conviviis; ſuccingebant ſe Horat. li. 1. Sat. 8.

Vidi egomet nigra ſuccinctam vadere palla
Canidiam ——

& de mure, qui vernarum in morem munera & miniſteria obibat, alterum murem ruſticum hilari cœna excipiente, ait li. 2. Satyr. 6. verſu 106.

Ergo ubi purpurea porrectum in veſte locavit
Agreſtem: veluti ſuccinctus curſitat hoſpes,

Conti-

Continuatq́ dapes: nec non vernaliter ipſis
Fungitur officiis. ——

Divus Ambroſius lib. de Helia & Iejunio cap. 13. *Igitur hinc ad adoleſcentes lubricos ad convivia prœliatorum veniamus inter arma prandendum eſt: ſtipatores hi ſunt bellici, qui miniſtrant ſui ſuccincti auro,* &c. Cingulum autem erat linteum. Seneca *ad hoc præſto aderit miniſtrorum ornatiſſimorum turba linteis ſuccincta,* & Caligula Senatum contemtui habens, quoſdam ſummis honoribus functos habitu ſervorum, ſuccinctos linteo ad pedes ejus ſtare non recuſavit, referente Suetonio in ejus vita cap. 26. *quoſdam ſummis honoribus functos adeſſe, dum ſibi occurrere legatos per aliquot paſſûm millia: & cœnanti modò ad pluteum, modò ad pedes ſtare ſuccinctos linteo paſſus eſt.* Apulejus teſſeram dat. li. 2. *Totis* (ait) *linea tunica mundulè amicta, & ruſſea faſciola prænitente, altiuſculè ſub ipſas papillas ſuccinctula, illud cibarium vaſculum floridis manibus rotabat in circulum.* Ab hac conſuetudine lictores dictos exiſtimabat Tiro Ciceronis libertus, ut ait Gellius li. 12. noct. Attic. c. 3. *Sed & Tiro Tullius M. Ciceronis libertus lictorem vel à lino, vel à Licio dictum ſcripſit. Licio enim tranſverſo, quod linium appellatur, qui magiſtratibus, inquit, præminiſtrabant, cincti erant.* Hujus cincturæ modum Philo Iudæus accuratè deſcripſit li. de *vita Theoretica* his verbis, ex verſione Sigiſ-

mundi Gelenii, agens de infreni luxu Romanorum. *Ex his* [miniſtrantibus] *minores pueri pincernas agunt, grandiores aquam afferunt, loti & nitidi fucati ac cincinnatuli: alunt enim capillitium, vel omnino intonſi, vel à fronte tantùm præſectis in orbem crinibus tenuiſſimas candidaſque præcincti tunicas, anteriore parte ad genua demiſſas, poſteriore ad poplites, utrinque mollibus teniis adſtricti commiſſuras tunicæ propendentibus ad latera ſinibus; ſic ornati adſtant nutus obſervando, quid quiſque poſtulet.* Hinc præluceo Divi Ioannis verbis cap. 13. num. 4. qui deſcribens D. N. ad diſcipulorum pedes lavandos jam accingentem ſe, ait: καὶ τίθησι τὰ ἱμάτια καὶ λαβὼν λέντιον διέζωσεν ἑαυτὸν, id eſt, *& ponit veſtimēta, & accipiens linteum præcinxit ſe ipſum:* junctis illis Divi Pauli ad Philippenſes cap 2. n. 7. ἀλλὰ ἑαυτὸν ἐκένωσε μορφὴν δούλου λαβὼν, id eſt, *Sed ſemetipſum exinanivit, formam ſervi accipiens.* Hoc ſenſiſſe videtur Divus Auguſtinus ſuper D. Ioannem cap. 13. tract. 55. tom. 9. his verbis: *Quid autem mirum ſi ſurrexit à cœna, & poſuit veſtimenta ſua; qui cùm in forma Dei eſſet ſemetipſum exinanivit? & quid mirum ſi præcinxit ſe linteo, qui formam ſervi accipiens habitu inventus eſt ut homo?* quod linteum σάβανον vocat Clemens Alexandrinus Pædagog. li. 2. cap. 3. dum ait: καὶ τοὺς πόδας ἔνιπτεν αὐτῶν σαβάνῳ περιζωσάμενος ὁ ἄτυφος θεὸς καὶ κύριος τῶν ὅλων. id eſt, *& pedes eorum abſterſit linteo accinctus*

ctus Deus, à faſtu alienus, & Dominus omnium. Erat autem σάβανον pannus, ſeu velamentum, quo à balneis circumdabantur corpora, plerunque craſsior, ut ad ſiccandos balnei madores eſſet aptior: de quo Nicolaus Mirepſius de antidotis *Sect.* 1. *cap.* 190, cujus ſunt verba ex interpretatione Leonharti Fuchſii. *Datur nucis Ponticæ quantitas à balneo in velamentis ex decocto ruſæ, aut aſarii, aut aſparagi, cum vini condito.* ubi in Græco exẽplari legitur, ἐν τῶν σαβανῶν. Apud Heſychium & Phavorinum non σάβανον, ſed σάγανον ſcriptum invenitur, exponiturque σκέπασμα, & περιβόλαιον, id eſt, *operimentum, & amiculum.* Marcellus item li. de medicinis cap. 5. *Poſtea*, inquit Latinè, *aqua tepida laues caput, & in frigidam mergas, & craſſo ſabano diligenter ſiccabis.* Hierocles ἱππιατ. &c. *lib.* 1 *cap.* 34. εἰσαγαγόντες εἰς βαλανεῖον, καὶ ποιήσοοντες ἱδρῶσαι καταμάσσουσιν ἔνδον ξηροῖς σαβάνοις. Et *Gregorius in dialogo ad Petrum*, atque *Gennadius de Purgatione cap.* 3. eãdem utuntur voce. Inter Latinos Apicius de *Re Culinaria.* li. 2. cap. 2. *cùm cocta fuerit*, ait, *Sabano calido involues gruem*, Victor de *Perſecut. Vandal. lib.* 3. *illa, quibus eum ſuſcipiens de fonte dudũ texerat, ſabana bajulabat.* Interpres Apollonii Tyrii *vidit*, inquit, *per plateam puerum nudum currentem, oleo caput unctum, ſabano præcinctum.* Ex his ſervus miniſter περιζωσάμενος vocatus à D. Luca cap. 17. num. 8. ubi expreſſus

preſſus iſte mos. *Quis autem* (ait) *veſtrûm habens ſeruum arantem, aut paſcentem, qui regreſſo de agro dicat illi; ſtatim tranſi, & recumbe; & non dicit ei para quod cœnem, & præcinge te, & miniſtra mihi donec manducem, & bibam; & poſt hæc tu manducabis & bibes*; & cap. 12. num. 37. *Beati ſervi illi, quos cùm venerit Dominus, invenerit vigilantes. Amen dico vobis, quòd præcinget ſe, & faciet diſcumbere illos, & tranſiens miniſtrabit illis*. utrobique uſus eſt Evangeliſta conviviali verbo διακονέω: & cap. 22. n. 26. utitur metaphora ſervi miniſtrantis, & eodem verbo. Athenæus teſtis apud anthores prophanos libro 4. ex Heraclide Cymeo, qui Perſica deſcripſit, dum ait: Regibus Perſarum famulos miniſtrantes elegantibus indutos veſtibus, his verbis: οἱ θεραπεύοντες τοὺς Περσῶν βασιλεῖς δειπνοῦντας ἅπαντες λελουμένοι διακονοῦσι ἐσθῆτας καλὰς ἔχοντες. Gloſſæ veteres διάκονος, *miniſter*, quo nomine deſignatus Mercurius; quia deorum miniſter habebatur ab antiquis. Quæ mihi anſam præbent, ut putem in ſacroſanctæ Miſſæ convivio miniſtros, qui Sacerdotem comitantur, inde Diaconos & Subdiaconos dictos. Quorum deſuper veſtes, fortè ideo laxas & defluentes; quia nobis redemtis pretioſiſsimo ſanguine D. N non decebat eos habitu ſervorum miniſtrare. Quod idem teſtatur de Theoretis Philo, qui in ſacris ſuis conviviis, liberorum, non ſervorum miniſterio utebantur; quare

ait

ait miniſtros ἀζώτους καὶ καθειμένους τοὺς χιτωνίσκους εἰσιέναι, id eſt. *diſcinctos, & promiſsis tunicis accedere ad miniſtrandum*, ut abeſſet omnis ſervilis ſpecies ab iis conviviis. Veteres etjam veſtibus diſcinctis, & apertis ad ſacra ritè accingebantur. Virg. Æne. li. 6. verſ. 645.

Nec non Threicius longa cum veſte ſacerdos
Obloquitur numeris ſeptem diſcrimina vocum.

Tibulus dum ſe noxia Amicæ ſomnia procuraſſe ſcribit:

Ipſe ego velatus filo tunicisq́; ſolutis,
Vota novem veneris nocte ſilenti dedi.

Et Propertius:

Pythius in longa carmina veſte ſonat.

Denique pro corollario addo verba D. Matthæi cap. 20. nu. 28. ad quorum interpretationem viam tibi munient ſupradicta. Non *ita erit*, inquit, *inter ſervos; ſed quicumque voluerit inter vos major fieri, ſit veſter miniſter: & qui voluerit inter vos primus eſſe, erit veſter ſervus. Sicut Filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare, & dare animam ſuam redemptionem pro multis.*

De decem virginibus, quæ exierunt obviam ſponſo, & ſponſæ. D. Matth. cap.25. nuptiæ noctu. faces ſpineæ. funalia cerea. Cic. emendatus. πάσαι ἔνδοι. Theocritus & Catullus illuſtrati.

CAPVT XIV.

SImile eſt regnum cœlorum decem virginibus, quæ accipientes ſuas lampades exierunt obviam ſponſo, & ſponſæ.* Vidi non ſemel doctos viros, qui valde implicarentur in his verbis: *ſponſo, & ſponſæ.* Nam vox, *ſponſæ,* quæ in Bibliis Græcis deeſt, ſi admittatur, parabolam conſtare ſibi non poſſe autumant, vel non neceſſariò legi. Ego verò maximè atque adeò pulchrè poſſe recipi affirmo; ut conſtanter additur Latinè, & Syriacè, leguntque Origenes, Divus Hilarius, & Divus Auguſtinus, imò ſine ea mancam reddi ſimilitudinem credibilius ſuſpicari. Res ſic habet: *Ducere uxorem,* inde acceptum eſt pro conjugatum eſſe virum, quia ſponſus ibat in domum ſponſæ, ut inde illam in ſuam domum duceret cum pompa & cæremoniis. At verò dum illam ducerent, cùm totam ferè civitatem circuirent, ad multam noctem remorabantur; præcipuè cùm nuptiarum ſolenne noctu celebraretur. Feſtus. *Patrimi & matrimi pueri tres adhibebantur in nuptiis, unus, qui facem præferret ex ſpina alba, quia noctu nubebant. duo, qui nubentem*

bentem tenebant. Suadet hoc etjam Claudiani carmen de Nuptiis Honorii, & Marc.

—alii funalibus ordine ductis,
Plurima venturæ ſuſpendunt lumina nocti.

unde intelliges non ſolùm ſpineam tædam (alii *pineam*) ſed plures adhibitas fuiſſe faces. Funalia enim erant cerea Val. Max. li.3. c.6. §.4. de Cajo Duilio inquit: *Quotieſcunque epulaturus erat ad funalem cereum præeunte tibicine & fidicine à cœna domum reverti ſolitus eſt.* legendum in Cicerone li. *de Senect.* ubi de eodem Duillio. *Delectabar cereo funali & tubicine,* pro *crebro funali:* quod nunc prauè legitur: Item perſuadent verba D. Lucæ cap. 12 nu. 35. *ſint,* inquit, *lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris: & vos ſimiles hominibus expectantibus dominum ſuum quando revertatur à nuptiis: ut cùm venerit & pulſaverit, confeſtim aperiant ei.* de nuptiarum facibus Papinius Statius deſcribens nuptialem ſolemnitatem:

Fronde virent poſtes, & fervent compita flammis.

& ex his fax *capitulo* 3. *n.* 6. Iobi ubi maledicens diei, in quo natus; nocti etjam, in qua conceptus ita imprecatur:

Noctem illam tenebroſus turbo poſſideat, non computetur in diebus anni. Nec numeretur in menſibus. Sit nox illa ſolitaria nec laude digna. Quibus ultimis verbis videtur etjam noctem illam, & ejus

forte revolutionem, devovere, optans ut ſine laude, id eſt, *ſine ſacris, ſine nuptiis*, nam ſolitariâ hæc non ſunt, ſed frequentia, cantibus, hymnis, & hymenæis celebrantur. Id enim indicat Hebræa veritas, in qua legitur אל-תבא רננה בו id eſt, *non veniat canticum in illa.* Septuaginta verterunt μηδὲ χαρμονὴ, Scholiaſtes interpretatur ἀγαλλίαμα, ſive *exultatio & gaudium*: appoſitiſsimè David *Pſ.* 77. *ver.* 63 *Juvenes eorum comedit ignis, & virgines eorum non ſunt lamentatæ*, in Hebræo: הוללו, id eſt, *epithalamio celebratæ ſunt.* Aquila οὐχ ὑμνήθησαν, *non hymnis decantatæ.* Symmachus & alii οὐκ ἐπῃνέθησαν: *non ſunt laudatæ*, ſed ne major thylaco acceſsio ſit. Virginibus interea cantaturis epithalamium, dum domi per multas horas noctis exſpectarent, dormire interim, & dormitare contingebat. Quum jam tandem ſponſus cum ſponſa veniens limen domus tetigit; ſeſe cum ſponſa in cubiculo repentè abdit, virgineſque, quæ in thalamum ingreſſæ (ſic Divus Chryſoſtomus in ſerm. de Jejunio & Eleemoſyna ultimis verbis) clauſerunt oſtium ita, ut pauciſsimi & non niſi ad vigilantes poſsint ingredi cubiculum. Vigili namque cura erat opus, ut antequam peſſulum hoſtio obderent, aliquis poſsit ingredi cubiculum. Occluſis jamque foribus, & admiſsis, qui excipiēdi; fruſtrà à volentibus ingredi foris clamabatur: *Domine, Domine, aperi nobis.* At ſponſus intus cōtentâ voce reſpon-

reſpondebat. *Neſcio vos. Omnes intus*, πάζαι ἐνδοῖ, id eſt, cuncta, quibus mihi opus erat, intus ſunt; nemo deeſt. *Omnes intus*; proverbium erat quo ſignificabatur nihil propoſito negotio deeſſe ad perfectionem. Adducitur à Theocrito in Siracuſanis ſub perſona Πραξινόης, & videbis in proverbio *Omnes intus*. Sed Eraſmus, & interpres Theocriti nugantur, nec ſcopum attingunt. Verba Theocriti ſunt:

Καλλιςʼ ἔνδοι πᾶσαι, ὃταν νύον εἶπʼ ἀποκλάξας.

Optimè jam omnes ſunt intus, ait, qui ſponſam incluſit.

Apud Romanos enim virgines hoſtium claudebant, & arcebant turbam. Catullus in Epithalamio Iuliæ & Manlii.

Claudite hoſtia virgines
Luſimus ſatis:

Sponſus clauſa janua diſponebat cuſtodes foris; Quorum opera muliercularum importuna, vel pietas, vel ſimulatio à foribus arceretur. Petronius poſtquam ſolemnitates nuptiarum graphicè deſcripſit, ait: *Sine dubio non repugnaverat puer, ac ne puella quidem triſtis expaverat nuptiarum nomen. Itaque cùm incluſi jacerent conſedimus ante limen thalami, & inprimis Quartilla per rimam improbè diductum applicaverat oculum curioſum*: Tangit hunc morem Divus Auguſtinus Civitate Dei li. 13. cap. 18. *Quid concubitus conjugalis, qui ſecundùm*

dum matrimonialium præſcripta tabularum, pro creandorum ſit cauſſa liberorum? Nónne & ipſe quanquam ſit licitus, & honeſtus, remotum ab arbitris cubile requirit? Nónne omnes famulos, atque ipſos paranymphos, & quoſcunque ingredi qualibet neceßitudo permiſerat, antè mitti foras, quam vel blandiri conjux conjugi incipiat? Itaque parabola decem virginum ad ritum antiquorum ſic poterit accommodari; & vigilare ſemper oportere admonere videtur.

Crucifigendi ſuam crucem portabant. Locus D. Joannis explicatus. Simon Cyrenæus ſuppoſiticius D. N. Evangeliſtæ conciliati. Cruciarii deducti cum vexatione. Angariare. Angaria. apud Juris conſultos D. Chryſologus emendatus Ἀγγάρος παρασάγγαι *Divus Matthæus illuſtratus.*

CAPVT XV.

REos capitis, pœna crucis afficiendos ſuam portaſſe crucem uſque ad locum ſupplicii docet antiquitas. Plutarchus, de *tarda Dei vindicta.* Καὶ τῷ μὲν σώματι τῶν κολαζομένων ἕκαστος τῶν κακέςσον ἐξ αὐτῆς τεκταίνεται), id eſt, *& corpore quidem quiſque maleficiorum ſuam effert crucem, malitia autem cruciatuum quemque, in ſe, ex ſe gignit & fabricatur.*

bricatur. Artemidorus li.2.cap.41. βαστάζειν τινα τῶν δαιμόνων χθονίων κακούργῳ μὲν ἰδόντι σταυρὸν αὐτῷ σημαίνει· ἔοικε γὰρ καὶ ὁ σταυρὸς θανάτῳ καὶ ὁ μέλλων προσηλοῦσθαι πρότερον αὐτὸν βαστάζει. id eſt, *ferre aliquem Deorum inferorum, malefico quidem id videnti crucem prædicit: Similis enim & crux morti, & qui in ea figendus, priùs portat eam.*

Hinc crucem humeris D. N. ex more miniſtri paſsionis ipſius impoſuerunt D. Ioann. c. 19. n. 18. καὶ βαστάζων τὸν σταυρὸν αὐτοῦ ἐξῆλθεν εἰς τὸν λεγόμενον κρανίου τόπον, ὃς λέγεται ἑβραϊστὶ γολγοθᾶ. Interpres, *& bajulans ſibi crucem, ſuam exivit in eum, qui dicitur Calvariæ, locum Hebraïcè Golgotha.* D. Chryſoſtomus hunc morem ſuo calculo confirmat. Homilia 84. his verbis: ex interpretatione Franciſci Aretini. *Neque cœlum ſuſpexit* [Pilatus] *ſed tradidit eum* [Chriſtum], *& ei crucem, tanquam reo impoſuerunt.* Nec verbis D. Ioannis adverſatur teſtimonium D. Lucæ *c.* 23. *n.* 26, dum ait, *& cùm ducerent eum, apprehenderunt Symonem Cyrenenſem, venientem de villa; & impoſuerunt illi crucem portare poſt* IESVM. Quibus verbis pictores noſtri ævi ſe cautos eſſe ducunt, ut exprimant Symonem Cyrenæum unà cum IESV portantem crucem poſt eum. Cùm potiùs ex ipſiſmet verbis ſatis ſit manifeſtum, totam crucē Symoni impoſitam. Apertè convincit Divus Matthæus c. 27. n. 32. *Exeuntes autem,* inquit, *invenerunt hominem Cyrenæum nomine*

mine Simonem, hunc angariaverunt, ut tolleret crucem IESV, quæ Divus Hieronymus ibidem ita exponit. *Ne quis putet huic loco Joannis Evangeliſtæ hiſtoriam eſſe contrariam. Hic enim dixit, exeuntem Dominum de Prætorio portaſſe crucē ſuam. Matthæus autem refert, quòd invenerunt hominem Cyrenæum nomine Simonem, quem angariantes, impoſuerunt crucem* IESV. *Sed hoc intelligendum eſt, quòd egrediens de Prætorio* IESVS, *ipſe portavit crucem ſuam, poſteą obvium habuerit Simonem cui portandam crucem impoſuerunt.* ubi duo obſerva, & D. N. primò totam ſibi crucem bajulaſſe, exeuntem autem à Prætorio Iudæos inveniſſe in via Simonem Cyrenæum, quem coëgerunt portare crucem, non ſimul cum IESV, ſed ſeorſim. D. item Auguſtinus in hanc ſententiam deſcendit li. 3. de conſenſu Evangeliſtarum cap. 10. to. 4. *unde intelligitur*, inquit, *quòd ipſe ſibi portabat crucem cùm exiret in locum memoratum. Simon autem ille in itinere angariatus eſt, de quo tres* [*Evangeliſtæ*] *commemorant, cui poſtea data eſt crux portanda uſque ad locum. Ita utrumque factum invenimus. Primò id quod Joannes; deinde cæteri tres:* Sanctus Ambroſius li. 10. in Lucam: *Bonus ordo noſtri profectus eſt, ut prius Crucis ſuæ trophæum ipſe erigeret: deinde martyribus traderet erigendum. Non Judæus eſt, qui crucem portat; ſed alienigena, atque peregrinus. Nec præcedit, ſed ſequitur, juxta quod ſcriptum*

eſt:

eſt: Tolle crucem tuam & ſequere me. Dixerat Divus Athanaſius de Paſsione Domini. Principio Ieſum Chriſtum D. N. tuliſſe crucem, cùm ultro ad mortem tenderet; rurſus eam geſtaſſe Simonem. ut omnibus inoteſceret Dominum non ſuam mortem, ſed Hominum obire. Rationem verò, quia moti Iudæi, ut adigerent Simonem ad crucem portandam, & CHRISTO D. N. ſubtrahendam aſsignat Nicolaus de Lira ad *d. cap.* 27. Divi Matthæi, inquiens: *Ipſe quidem portavit crucem ſuam quando exivit de domo Pilati, ut dicit Joan. ſed quia erat fatigatus ex præcedenti labore, & ieiuniis, & vigiliis, ideo milites coëgerunt Simonem ad portandam ejus crucem ut citiùs poſſet pervenire ad locum Crucifixionis, ut hîc dicitur:* iterum ad Divum Lucam ca. 23 *quia coëgerunt eum* [Simonem] *ad portandam crucem, ut citiùs pervenirent ad locum crucifixionis; quia* IESVS *videbatur nimis debilitatus ex afflictione præcedenti.* In ipſa enim deductione VEXATIO. Plautus in Moſtellaria.

O carnificum cribrum! quod credo fore,
Ita te forabunt patibulum per vias
Stimulis; ſi noſter huc revenerit ſenex.

& veriſimile videtur cùm Iudæi urgerent ad accelerandam D. N. crucifixionem, eum dejeciſſe, & per luſum etjam impuliſſe: ita ut fatigatus nimis, ad ligni molem ſuſtentandam non valeret. Præterea nota milites in adjutorem coëgiſſe Si-

 monem

monem, quia nemo dignabatur eſſe I E S V ſuppoſititium. Quare Divus Hieronymus ad Marcum ait cap. 16. *Cogunt eum* [Simonem] *homines huic labori, quem non cogit timor & dilectio Dei.* Quod idem ex ipſius verbi *angariare* vi & propria ſignificatione, facilè elicies. Gloſſæ veteres, quæ D. Iſidori nomine circumferuntur. *Angario. Cogo.* ut ſignificet cogere aliquem ad portanda onera, Vlpianus in L. *Viæ ſternendæ.* 14. π. de *veteranis. Nam nec ab in tributionibus, quæ poſſeſsionibus fiunt veteranos eſſe excuſatos palàm eſt: ſed & naves eorum angariari poſſe, Aelio Ruffino, & Antonino Claro veteranis reſcriptum eſt.* acutè D. Petrus Chryſologus ſerm. 25. quem pupugit acumen veræ verbi *angariare* ſignificationis; *& ne cui fortaſſe deeſſet* (ait) *evectio ad portanda illa, quæ dimittitis angeriatus* [lege *angariatus*] *eſt pauper. Ferunt pauperes onera noſtra, & volentes ferunt.* nota τὸ *volentes* oppoſitum verbo *angariare.* Hinc in Iure noſtro angaria eſt, exactio, impoſita provincialibus onerum vehendorum neceſsitas, licèt ad ſacroſanctas Eccleſiæ poſſeſsiones pertineret L. *neminem* 11. Cod. de ſacroſ. Eccleſ. in Baſilicis li. 5. tit. 1. κεφ. ε. ὑποκείθωσαν δὲ ἀγγαρείαις καὶ παραγγαρείαις ἐν καιρῷ στρατοπέδου, id eſt, *cæterum obnoxiæ* [Eccleſiæ] *ſint angariis & parangariis expeditionis tempore, &* κεφ. ζ. μὴ δ' ἡ ἐκκλησία, μήτ' ἕτερος τῶν τοῦ στρατοπέδου ἐξκουσατεύεσθαι βαρῶν ἀγγαρείας τυχὸν ἢ παραγγαρείας ἢ τοιούτου τινός,

id

id eſt, *ne quidem Eccleſia, nec alius quiſquam ab oneribus expeditionis excuſetur, velut ab angaria, vel parangaria, vel alio tali.* Hinc tot illæ leges, tot Principum conſtitutiones ad ſublevandum curſum publicum : nam hujus Angariæ præſtandæ excuſationem nemo jure habebat præter eum, cui Principali beneficio erat conceſſa; ut ſcripſit Hermogenianus in L. *ſunt munera.* 11. π. de *vacat. & excuſ. munerum.* & ideò Paulus Iureconſultus in L. *ab his.* 10. §. *angariorum.* ejuſd. tit. ait: Liberalium artium profeſſoribus, & militi inter cœtera privilegia angariorum præſtationem remiſſam eſſe. Imperatores enim cùm de civibus bene mereri cupiebant, ab hoc onere eos ſublevabant; de ſe verò Spartianus : *Poſt hæc, cùm vellet commendare hominibus, vehicularium munus à privatis ad fiſcum traduxit.* Quamvis ſciam alios intelligere hæc verba de eorum commodo, qui equis publicis currebant: Non verò per ea conſultum fuiſſe munificentiâ Imperatoriâ provincialibus aſſeverant. Ex his; Curſores, qui ferebant Epiſtolas *angarii* dicti, & ἀγγαροφορεῖν *onus ferre*, ad tale miniſterium. Equi celeres manſionatim erant, quibus uti non licebat, niſi Curſoribus; & iis, non niſi chartulam haberent publico chirographo ſubſcriptam. In tantùm, ut nomina eorum, quibus conceſſum Ius utendi publicis veredis, deſcriberentur; quò conſtaret de beneficio Principis. Phi-

loſtratus de Dionyſio Mileſio Sophiſta: Ἀδριανὸς σατράπην αὐτὸν ἀπέφηνεν οὐκ ὀλίγων ἐθνῶν. κατέλεξε δὲ τοῖς δημοσίᾳ ἱππεύουσι. *Adrianus præfectum eum pronuntiavit, non paucis nationibus; & annumeravit, ſive deſcripſit, publicè equitaturis*, id eſt, *publicis veredis ſive curſu publico fruituris ex beneficio Principis*. Perſæ, quorum vox eſt ἄγγαρος, itinera ſua in paragangas dividebant; & ideo hi tabelliones & bajuli, ut quoſque paraſangas attigiſſent, quieſcebant, & onera ſua aliis ulteriùs euntibus per vices transferenda committebant. Docet Agathias li. 2. ubi de Perſarum paraſangis agit: οἱ γὰρ παρ' αὐτοῖς ἀχθοφόροι ἕκαστον παρασάγγην περαιωθέντες τά τε φορτία τίθενται καὶ σφᾶς αὐτοὺς ἐλάχιστον ἀναπαύουσιν ἑτέρων δή που ἀμοιβαδὸν διαδεχομένων καὶ καθόσον τοῦτο δρῶσιν, ἐς τοσοῦτον τὰς ὁδοὺς διαμετροῦνταί καὶ καταλέγουσιν. id eſt, *nam & apud hos bajuli, ubi ſingulos paraſangos pertranſiêre; & onera, quæ geſtant, deponunt: & ipſi parumper quieſcunt, aliis in ferendo viciſſim onere ſuccedentibus: idq; quoties factitant, eodem ſpatio itinera metiuntur, & interrumpunt*. Heſychius ait ἀγγάρους σημαίνει δὲ καὶ τοὺς ἐκ διαδοχῆς βασιλικοὺς γραμματοφόρους. *angaros etjam fuiſſe eos, qui regias epiſtolas alter alteri ſuccedendo ferebant*. Suidas ἄγγαροι, οἱ ἐκ διαδοχῆς γραμματοφόροι, οἱ δὲ αὐτοὶ καὶ ἀστάνται, & alio loco ἀστάνδαι. οἱ ἐκ διαδοχῆς γραμματοφόροι. Ex his interpretor Divi Matthæi verba *cap*. 5. qui refert D.N. præcepiſſe hominibus, ut diligerent inimicos

micos ſuos, & benefacerent eis, qui ipſoſmet inſectarentur ac perſequerentur. Ait: *Quicunque ſe angariauerit mille paſſus vade cum illo & alia duo*; id eſt, quicunque coëgerit te, ut onera feras per mille paſſus, & his peractis alteri deferas, ut in paraſangis ſolitum; quamvis injuria te afficiat, redde pro malo bonum, ulteriuſque progredere, vade cum illo, onera porta, & alia duo millia paſſuum.

Ignoto Deo. ἀγνώςῳ θεῷ. Ara clementiæ apud Statium.

CAPVT XVI.

NOn defuêre qui Divo Paulo imputarent ſe noviter geſsiſſe cum Athenienſibus, qui lege antiquiſsimâ tenebantur, ne novas religiones inducerent. Quibus voluit ſatisfacere Paulus dum inquit, ſe velle eis oſtendere, non novam religionem, ſed antiquiſsimam. Illi enim colebant aram ignoti Dei, & quiſnam hic Deus ignotus ſit ſe planè eis velle oſtendere. Dicunt igitur aliqui nullam eſſe Athenis aram ignoti Dei; ſed ignotorum deorum; & divum Paulum uſum hac occaſione, ut unum Deum prædicaret. Multo aliter ſentit Plato, quum docet Deum omni ex parte ita eſſe omnipotentem, ut ei nulla ſit opus occaſione, præſertim falſâ, ad omnia, quæ velit perficienda.

Locus eſt cap. 17. n. 23. Actorum. διερχόμενος, inquit Paulus γὰρ καὶ ἀναθεωρῶν τὰ σεβάσματα ὑμῶν εὗρον καὶ βωμὸν ἐν τῷ ἐπεγέγραπτο. Αγνώστω θεῷ ὃν οὖν ἀγνοοῦντες εὐσεβεῖτε, τοῦτον ἐγὼ καταγγέλλω ὑμῖν. *Præteriens & videns ſimulachra inveni, & aram, in qua ſcriptum erat* IGNOTO DEO. *Quod ergo ignorantes colitis, hoc ego & annuntio vobis.* Ajunt itaque interpretum aliqui eſſe quaſdam deorum ignotorum aras Athenis, non tamen ignoti Dei: nam Pauſan. lib. 1. in 2. pag. ſic ait: *Ara præterea & deorum & Heroum, qui ignoti vocantur.* Item lib. 5. pag. 199. *Adjacet ei ignotorum Deorum ara.* Sed, ut dixi, Deus non indiget falſis argumentis, aut dubiis; ut mirabilia operetur. Verè Athenis ignoti Dei ara erat: quod apertè indicat Lucianus in Dialogo, qui inſcribitur φιλόπατρις, inquit enim, Νὴ τὸν ἄγνωστον ἐν Αθήναις, id eſt, *per Deum ignotum Athenis*: & in eodem Dialogo: ἡμεῖς δὲ τὸν ἐν Αθήναις ἄγνωστον ἐφευρόντες καὶ προσκυνήσαντες, χεῖρας εἰς οὐρανὸν ἐκτείναντες τούτῳ εὐχαριστήσομεν. id eſt, *Nos autẽ Athenis Deum ignotum invenientes, & adorantes manibus in cælum expanſis, huic gratias agemus.* Quin apud Statium lib. 12. Theb. eſt ara Clementiæ, quæ eadem eſt, quæ ignoti Dei.

Vrbe fuit media, nulli conceſſa potentum
Ara Deûm, mitis poſuit Clementia ſedem:
Et miſeri fecère ſacram: ſine ſupplice nunquam
Illa novo: nulla damnavit vota repulſa;

Auditi

Auditi quicunque rogant; noctesq́ue dieſq́ue
Ire datum, & ſolis numen placare querelis.
Parca ſuperſtitio; non thurea flamma, nec altus
Accipitur ſanguis. lachrymis altaria ſudant.
Mœſtarumq́ue ſuper libamina ſerta comarum
Pendent, & veſtes mutata ſorte relictæ.
Mite nemus circa, cultuq́ue inſigne verendo,
Vittata laurus, & ſupplicis arbor olivæ.
Nulla autem effigies. nulli commiſſa metallo
Forma Dei, mentes habitare & pectora gaudet
Semper habet trepidos, ſemper locus horret egenis
Cœtibus: ignota tantùm felicibus aræ.

Dicebatur item hæc *ara ſupplicum*, & *miſerorum*, quam potentes & felices non ſolebant frequentare. Hîc nulla erat effigies, aut ligni, aut metalli, quam venerarentur homines; corde puro tantùm adorabant. Quibus adſtipulari videntur, quæ refert Nicolaus de Lyra, ex aliquorum opinione, poſt mortem Herculis poſteros ipſius ejectos è regno, ad auxilium Athenienſium confugiſſe, quorum ope adjuti, & in priſtinum ſtatum conſtituti, Miſericordiæ Aram Athenis poſuêre; quæ quia nulli hominum nota, ſicut Iupiter & Mercurius noti erant, aram Deo ignoto conſecrarunt. ubi pro ſacrificio, gemitus, lachrymæ, & preces miſerorum, miſericordiam deprecantium. Quam eandem cauſſam agnoverunt Divus Chryſoſtomus, Beda, & Oecumenius.

Addo

Addo ego contra D. Pauli calumniatores: Si non eſſet Athenis ara ignoti Dei, ſed tantùm ignotorum deorum potuiſſe commodè Paulum, & ſine fuco, ex illa ara Deum Trinum & Vnum interpretari; non quod tres Deos inſinuaret. Id enim Catholica religione dicere vetamur, ſed tres perſonas. Quod & Græcè commodiùs potuiſſet explanare. Nam Græci tres hypoſtaſes Divinas agnoſcunt, quas Latini tres diuinas perſonas interterpretantur, & vocem Hebræam HELOIM in plurali, ut docet Divus Thomas tres Deos interprætari non poſſumus, ſed tres perſonas. Itaque tanto interprete, quantus Paulus fuit: Ego tres perſonas in ara ignotorum deorum non timuiſſem interpretari, ſi non ignoti Dei ara reperiretur. Sed & demonſtraſſe divum Paulum hanc aram teſtis eſt Dionyſius Areopagita Pauli diſcipulus, in libro de divinis nominibus, & divus Auguſtinus tom. 7. contra Creſconium Grammaticum lib. 1. cap. 29. Clemens Alexandr. lib. 1. Stromat. cap. 9. Aliter tamen divus Hieronymus in c. 1. Epiſt. ad Titum. Quamvis aliqui dubitent de autore certo illius Commentarii, præſertim cum lib. 4. cap. 16. Ezechielis hanc inſcriptionem in numero ſingulari agnoſcat D. Hieronymus.

Inſepulta

Inſepulta punitorum cadavera ex pœna. id apud varios populos: indulgentia Principis deponi ſolita; rarò tamen. Corpus in patibulo remanere poſt ſolis occaſum Judæis nefas. Dominus Chriſtus Romanorum more crucifixus. Sepulcra in agris. Commune id Romanis, & Iudæis. Etjam in finibus agrorum. Limitaris. Ciſternæ Cavernæve ad punitorum ſepulcrum. Horatio lux. Quid juſta ſepultura *Marciano IC?* Iuſta.

CAPVT XVII.

POenæ loco habitum, ut inhumata ſceleratorum cadavera relinquerentur, Romanorum legibus cautum, varia earum monimenta teſtatum faciunt, veluti illud: *Parentes in calamitatibus relinquentes inſepulti adjiciantur.* & illud: *Homicidæ inſepulti abjiciantur.* Quod etjam multa autorum ſcripta confirmant. Nam tyrannorum corpora abjici inſepulta jubente lege, Appianus lib. 3. de bello civili refert, & Veſpaſianum pœnæ conjuratorum addendum cenſuiſſe, ut inſepulti projicerentur, ait Sueton. in ejus vita cap. 2. Tacitus etjam lib. 6. Annalium, Multos interemiſſe ſeipſos ait, quia pretium feſtinandi ad mortes promtas metu carnificis Tiberii ducebatur tempore: quòd damnatorum corpora publicatis bonis ſe-

 pulturâ

pulturâ prohibebantur; Eorum verò, qui de ſe ſtatuebant, humabantur corpora, manebant teſtamenta. Apud Græcos quoque ſacrilegos hac ignominiæ nota in juri communi lege docet Diodorus Siculus lib. 16. *Biblioth.* in ſexto anno Philippi uti apud Athenienſes in Attica non ſepeliendos. Xenophon meminit lib. 1. *Hiſtor. Græcæ* in Euryptolemi pro ducibus oratione, & Antiochum quò Iudæos ignominia afficeret, indignos ſepultura teſtantur reputaſſe ſacræ litteræ 2. *Machab.* cap. 9. n. 15. Nec apud Romanos corpora damnatorum, in quos animadvertebant, aliter ſepelire licebant; quàm ſi priùs petitum; & permiſſum à Præſide, vel magiſtratibus eſſet. ut de ſuo ævo teſtatur Vlpianus in L. *corpora.* π. de *cadaveribus punitorum.* idque raró. Philo Iudæus in Flaccum de natalitiis Auguſti agens, ex verſione Sigiſmundi Silenij. Sic inquit: (*Atqui novi quoſdam jam crucifixos, inſtante tali feſto de cruce depoſitos, & ad ſepulturam, ex more, cognatis redditos: quando quidem decebat, vel ad mortuos redire aliquem fructum ex Imperatoris natalibus; ſimulque celebritati ſuum ſacrum honorem ſervari.* Hinc ne propinqui vel amici punitorum corpora è cruce deponerent cuſtodes dati. Petron. in Satyrico *Proxima ergo nocte, cùm miles, qui cruces aſſervabat, ne quis ad ſepulturam corpora detraheret, notaſſet, ibi lumē,* &c, & dixi ſup. cap. 5. Ideò Pilatus, quando permiſit

Ioſeph

Ioſeph corpus I E S V ad ſepulturam, vocavit Centurionem, ut ei renunciaret an ſpiritum exhalaſſet, quo poſſent de Cruce tollere. *D. Marcus c.* 15. *n.* 44. Secus apud Iudæos, quibus nefas erat corpora in patibulo remanere poſt veſperam. Quare afflictim inſtabant ut Pilati juſſu D. N. & latronum crura frangerentur à militibus, quippe accelerandæ eorum morti. Non enim ait S. Cyrillus lib. 12. in Ioann. cap. 38. *frangebantur* [crura] *niſi ut* [Crucifixi] *citiùs morerentur*, & S. Auguſtinus in Pſ. 33. *Crura latronibus*, inquit, *in cruce fregerunt, ut per ipſum dolorem compendio mortis, ab ipſo cruciatu liberarentur. Quomodo ſolebat Crucifixis fieri.* Accelerabant, inquam, Iudæi D. N. mortem, ne ſcilicet pernoctaret in cruce. *Iudæi ergo*, ſcripſit divus Iannes ca. 19. nu. 31. *quoniam paraſceve erat, ut non remanerent corpora ſabatho (Erat enim magnus ille dies ſabathi) rogaverunt Pilatum, ut frangerentur eorum crura, & tollerentur.* Igitur Pilatus, D. N. corpus ad ſepulturam permiſit, ut diximus, Romanorum legibus. Quibus obſervo Iudæos crucifigi I E S V M poſtulaſſe, Eum namque Majeſtatis reum ſubſcripſerunt. Qui enim Romanorum perduellionis erat compertus in cruce ſuſpendebatur, ut de P. Horatio, & C. Rabirio Hiſtoriæ prodidêre. Cùm autem Iudæi in animum induxiſſent ſuum, non interficere C H R I S T V M *propter diei feſtivitatem*, (verba ſunt D. Auguſtini

ad Ioannem cap. 18.) *quem celebrare jam cœperant, propter quem de ingreſſu etjam Prætorii contaminari metuebant.* (D. Ioannes d. cap. 18. n. 28.) in die namque feſto occidere quemquam eis non licebat, reſponderunt hoc Pontifices & miniſtri, qui ſtabant ante Prætorium (d. c. 18. d. Ioannis num. 31.) nam ſi aliter feciſſent, magnus exortus fuiſſet tumultus in populo (ut ſcripſit divus Matthæus c. 26 n. 1.) mutato conſilio accuſationem mutarunt, & qui priùs CHRISTVM tanquam blaſphemum ſecundùm legem ſuam (Levit. 24. n. 14.) toties lapidare tentarunt; & judicarunt dignum morte, (Matthæus cap. 26 n. 65. Marc. c. 14 n. 64. & 65.) pòſt tamen ſecundùm leges Romanorum tanquam hominem ſubvertentem populum, & Cæſaris inimicum crucifigendum exagitant, acclamantes ſe legem habere, ex eaque reum mortis eſſe; ut adigerent Pilatum ad CHRISTVM crucifigendum. Quo facto etſi *ſermo adimpleretur, quem dixit, ſignificans qua morte eſſet moriturus,* videlicet futurum, quod Iudæi ad occidendum eum Gentibus traderent, morte autem crucis. (D. Matth. c. 20. n. 19.) Quæ omnia eleganter, ut ſolet, Leo Papa, Eccleſiaſticæ dictionis Tullius, in ſermone ſexto de paſsione Domini feria 4. pauciſſimis ſed dilucidis verbis comprehendit. *Princeps enim,* ait, *ſacerdotum, & ſeniores populi hoc conſilio rem gerebant, ut ab actione ſceleris ſui viderentur immunes,*

immunes, ſubtrahentes opera manuum, & exercentes tela linguarum, nolentes interficere, & clamantes Crucifige, Crucifige. Quid hac ſpecie religionis injuſtius? Quid hac Clementiæ ſimulatione crudelius? Qua lege, Judæi, quod vobis non licet facere, licet velle? Qua ratione, quod corpora polluit, corda non lædit? Contaminari occiſione ejus metuiſtis, cujus ſuper vos & ſuper filios veſtros fundi ſanguinem poſtulaſtis? Iudæi, inquam, ne legem ſuam tranſgrederentur deponendum è cruce, & ſepeliendum curabant. Lex erat Deuteronomii cap. 21. n. 22. quam refert Ioſephus *Antiq. Judaic.* lib. 4. cap. 8. Deuteronomii verba ſunt: *Quando peccaverit homo, quod morte plectendum eſt, & adjudicatus morti appenſus fuerit in patibulo: non permanebit cadaver ejus in ligno, ſed in eadem die ſepelietur. quia maledictus à Deo eſt, qui pendet in ligno; & nequaquam contaminabis terram tuam, quam Dominus Deus tuus dederit tibi in poſſeſſionem.* Quæ ultima verba, Andreæ Maſio, qui erudita Commentaria in Ioſue ſcripſit, negotium faceſſêre; dum abſurdum videri poſſe exiſtimat deponenda cadavera ſuſpenſorum, ne pollueretur terra, cùm hanc ſepulti, non pendentes, contingant, ut, ſi qua eſt in ſuſpenſis contagio, ea minùs inficiat terram, dum illi in ſublime pendent, quàm dum humati in illius viſceribus ſunt. Hactenus Maſius, qui nodum invenit, ſed nondum diſſolvit. Ego

verò, ſi licet conjectari, meam interpretationem apponam, forté non negligendam. Lex præcipiebat, ne ſuſpenſus in ligno eſſet pernox; quia maledictus à Domino erat, qui pendebat in ligno: Et ideo pendente eo contaminari videbatur terra: ſed, quia non ex pietate vel honoris cauſa damnati cadaver è ligno deponebatur; non in patrio ſepulcro, non in hæreditate avitâ ſepeliendum fuiſſe autumo: ſed in communi damnatorum ſepultura, vel ſeorſim, ignominiæ cauſa, temerè projiciendum. unde nec terra triſti illo ſuſpenſi cadaveris ſpectaculo contaminabatur; nec patria hæreditas, & ſepultura maledictionem imbibebat, cùm minimè ſuis viſceribus ſuſpenſu exciperet humandũ. Hæc omnia docent ſuperiora verba: *Et nequaquam contaminabis terram tuam, quam Dominus Deus tuus dederit tibi in poſſeſſionem.* Quod ut pateat ſciendum eſt Hebræos & Romanos ſepulcra hæreditaria, & familiaria habuiſſe in agris. De his communis locus; vel ex Auguſti joco apud Macrobium lib. 2. Saturnal. c. 4. *Vettius cùm monumentum patris exaraſſet, ait Auguſtus; Hoc eſt verè monumentum patris colere.* & ex Horat. lib. 1. Satyr. 8.

Pantolabo ſcurræ Nomentanoq́; nepoti
Mille pedes in fronte, trecentos cippus in agrum
Hic dabat. hæredes monumẽtum ne ſequeretur.

& ex Martiali lib. 10. cap. 43.

Septima

Septima jam Phileros tibi conditur vxor in agro;
Plus nulli, Phileros, quam tibi, reddit ager.

Appianus lib. 1. ἐμφυλ. refert non extremam cauſſam fuiſſe cur legem Agrariam à Gracchis latis recuſarent divites, quod ſcilicet iniquum & impium eſſe reputarent, non ſolùm agris ſe mulctari, ſed & ſepulchris majorum, quæ in agris habebant. Eo modo quo & ſatis luctuoſum ait Iuriſconſultis, majorum imagines revulſas videre. *L. in fundo. π. de rei vendic.* Sed de Iudęis extat inviolabile teſtimonium. 2 *Paralipom. cap.* 26. *num.* 23. illis verbis: *Dormivitq́ Ozias cum patribus ſuis, & ſepelierunt eum in agro Regalium ſepulchrorum*, & apud *D. Matth. cap.* 27. *n.* 7. de agro in ſepulchrum peregrinorum emto triginta argenteis. Quibus vænundatus D. N. & *Geneſ. cap.* 23. *n.* 13. & *cap.* 49. *n.* 30. *cap.* 50. *n.* 13. ubi in d. *cap.* 23. *n.* 9. hæc leguntur verba: *ut det mihi ſpeluncam duplicem, quam habet in extrema parte agri ſui, pecunia digna tradat eam mihi, coram vobis, in poſſeßionem ſepulchri* Quibus morem etjam antiquum Iudæis & Romanis communem elicio; ſolitum ſcilicet ſtrui ſepulchra in finibus agrorum, juxta viam. Quid enim ſignificant verba illa, *in extrema parte agri ſui?* ubi LXX. ἐν μέρει τοῦ ἀγροῦ αὐτοῦ. Confirmant Siculi Flacci verba de condit. agrorum. *Inſpiciendum & illud, ne, quoniam in ſepulchra in extremis finibus facere ſoliti ſunt & apponere, aliquando cippus pro*

termino

termino errorem faciat: nam in locis ſaxuoſis, & in ſterilibus, etiam in mediis poſſeſſionibus faciũt. Frontinus item de *limitibus agrorum* recenſens rationes propter quas in iis monumentum conſtituebatur, hanc refert: *Eſt & aliud; quod non longè ab ædibus, vel itinere publico conſtitutum eſt juxta legem Semproniam, & Juliam. & alia intrà agros ſita ſunt. quæ partes limitum ſervant. Lapidem* enim *hinc movere,* (ut ait Imp. Iulianus in L. *pergit audacia.* Cod. de *ſepul. viol.*) *& terram evertere, & ceſpitem evellere, proximum ſacrilegio majores noſtri ſemper habuerunt*: cui rei ut obviam irent, appoſitæ in ſepulchro cuſtodiæ, ne defuncto cadaveri fieret injuria ab inimico, creditore, ſaga, aut violatore ſepulchri ſive τυμβωρύχῳ. Sic capiendus Ireconſultus Pomponius in L. *centum.* 71. §. *Titio centum.* 2. π. de condit. & demonſtr. *Titio centum* (inquit) *relicta ſunt ita, ut à monumento meo non recedat.* Quod in divitum ſepulchris ſolùm obſervatum. nam ſepulchra pauperum cuſtodibus non erant curæ. Notat vetus Commentator ad Horatium lib. ἐπωδῶν. Ode ad *Canidiam* 17. vers. 47.

Nec in ſepulchris pauperum prudens anus
Novendiales diſſipare pulveres.

ut ergo unde digreſſi ſumus redeamus, Sepulchra in finibus agrorum, quæ Hygino dicta *finales ſepulturæ* de limitibus conſtituendis libro. Hoc Platonis doctrinæ concinnum, qui nullum in agro fœcundo

cundo ſepulchrum fieri voluit ne detrimentum inde caperent vivi. Cicero item ſic extulit lib. 2. de legib. *vetat ex agro culto eóve, qui coli poſsit, ullam partem ſumi ſepulchro: ſed qua naturâ agri tantummodo poſsit efficere, ut mortuorum corpora ſine detrimento vivorum recipiat, ea potiſsimùm compleatur: Quæ autem terra fruges ferre, & ut mater cibos ſuppeditare poſsit, eam ne quis nobis minuat; néve vivus, néve mortuus.* Reſtat nunc ſcrupulus. Quo in loco deponendum ſuſpenſi cadaver: ſi non condendum terra hæreditariâ? Quem tibi eximet antiquus mos apud Iudæos ex lege obſervatus. In judicum enim hiſtoriis reperitur ſcriptum, eos, qui ſupplicio affecti ciciderant, ad patrium vel familiare ſepulchrum deferre, non licuiſſe; ſed in communes, & huic miniſterio deſtinatas, eaque cauſâ paratas certas cavernas, quæ vocabantur Bor, vel Seol, dejici ſolitos: ibidemque communiter putreſcere ad carnis uſque & nervorum conſumtionem. Huic opinioni ſuam ſententiam videtur adſcribere Philo Iudæus, qui libro *Contra mœchos & libidinoſos*, &c. agens de homicidarum lege; poſtquam ſcripſit contra tales, mille, ſi potuiſſet, legiſlatorem fore decreturum ſupplicia; & id quia non poterat, quæ pietas ejus eſt, novam pœnam addidiſſe; dum juſsit in ligno ſuſpendi homicidas: reverſumque eſſe ad ſuam clementiam humanitatis erga inhumanos non

oblitum, ſic ait: καὶ φησὶ, μὴ ἐπιδυέτω ὁ ἥλιος ἀνεσκολοπισμένοις, ἀλλ' ἐπικρυπτέσθωσαν γῇ πρὸ δύσεως καθαιρεθέντες: ἦν γὰρ ἀναγκαῖον τοὺς ἅπασι τοῖς μέρεσι τοῦ κόσμου πολεμίους, μετεωρείσαντας εἰς τοὐμφανὲς ἐπιδείξασθαι μὲν αὐτοῖς ἡλίῳ καὶ οὐρανῷ καὶ ἀέρι καὶ ὕδατι καὶ γῇ κολασθέντας· πάλιν δ' εἰς τὸν νεκρῶν χῶρον ὑποσῦραί τε καὶ καταχῶσαι, ὅπως μὴ τὰ ὑπὲρ γῆς μιαίνωσι. ubi verba εἰς τὸν νεκρῶν χῶρον, nihil aliud ſignificant, quàm communem illam mortuorum regionem, & ciſternam in quam deponi jubebatur damnati corpus, ne contaminarentur, quæ ſuper terram, τὰ ὑπὲρ γῆς ait Philo, id eſt, *populus, Homines*. Hi *ſuperi* vocati, reſpectu mortuorum, qui *inferi*. Plinius lib. 12. cap. 18. *Non ſunt eorum cinnamomum, aut caſia, & tamen felix appellatur Arabia, falſâ & ingrata cognominis. quæ hoc acceptum ſuperis ferat, cùm plus ex eo inferis debeat.* Græcè: περίειμι. *ſupero. ſum ſuperſtes*, id eſt, *ſuperſto. vivo.* Ad hanc terræ expiationem ſpectat illud Ezechielis c. 39. n. 12. *& ſepeliet eos domus Iſraël, ut mundent terram ſeptem menſibus, ſepeliet autem eum omnis populus terræ, & erit nominata dies, in qua glorificatus ſum.* Quæ germana & genuina eſt hujus loci explanatio, verbis etjam ſeptuaginta Interpretum munita, qui illo in *cap. Deuteron.* 21. *n.* 22. ſic tranſtulêre. καὶ οὐ μὴ μιανεῖτε τὴν γῆν ἣν κύριος ὁ θεός σου δίδωσί σοι ἐν κλήρῳ. id eſt: *& nõ inquinabis terram tuam, quam Dominus Deus tuus dat tibi in ſortem.* & ca. 24. n. 4. ubi reddens rationem legiſlator

cur

cur priori marito, qui repudiaverat uxorem, ad ipſum illam revertentem, altero jam mortuo, excipere non permittebatur: ait ex vulgata verſione. *Ne peccare facias terram tuam quam Dominus Deus tuus tradiderit tibi poßidendam.* & ex L X X. καὶ οὐ μιανεῖτε τὴν γῆν ἣν κύριος ὁ θεός σου δίδωσί σοι ἐν κλήρῳ. *& non inquinabis terram, quam Dominus Deus tuus dat tibi in ſortem.* Certum eſt triſtiſsimo ſpectaculo damnati cadaveris ſublime pendentis videri poſſe publicæ rei ſerenitatem fœdari obnubilarique. Quod autem nullo habito ſepulturæ honore, corpus damnati in ciſternam trahi juberetur, colligitur ex *compendio Talmud* .., quod dicitur *Alpheſi*, & ex Rabbinis Iacob Iurim, & Moyſe Ægyptio, referente Gretſero lib. I. *de ſancta cruce* c.27. to. I. qui ajunt vetitum fuiſſe cadavera damnatorum inferri in ſepulchra cœteris communia: ſed in privata ſeorſim ab aliis fuiſſe ponenda. Confirmatur hoc idem hiſtoriâ Regis Hai, relatâ *Joſue, cap.* 8. *n.*29. ubi ſcriptum eſt; in patibulo ſuſpenſum. Occidente ſole depoſitum fuiſſe, nullo ſepulturæ honore tumulatum; ſed de foſſa humo, & temerè projectum. Hoc enim tranſlatio vulgata innuit verbo *projecerunt*, planius L X X. verſio, talis: καὶ ἔρριψαν αὐτὸ εἰς τὸν βόθρον. *& projecerunt illud in foveam.* Hæ cavernæ, damnatorum ſepulchra, *puticuli* vocati à Romanis, vel quod ibi puteis obruebantur homines: vel quod ibi putiſcebant cada-

vera projecta. Qui locus publicus extra Exquilias, teſte Varrone lib. 4. de *Lin. Lat.* Feſtus, medicina doctorum virorum ſanatus. *Puticulos*, inquit, *antiquiſſimum genus ſepulturæ appellatos, quòd ibi in puteis ſepelirentur homines. Qualis fuerit locus, quo nunc cadavera projici ſolent extra portam Eſquiliam: quæ, quòd ibi puteſcerent, nomen eſſe factum* PVTICVLI. Antiquus commentator Horatii Porphyrion. *Eſquilinus mons Romæ ex ſeptem montibus. Hinc Eſquilia porta Romæ dicitur ad Seſtertium. ubi certus erat locus ſepulchrorum ad corpora pauperum, aut ſceleratorum, viliumq; comburenda: aut canibus projicienda.* Vides damnatorum commune ſepulchrum Eſquiliis Porphyrioni eſſe? Et Feſto extra Eſquiliam portam *Puticulos?* ut facilè intelligas ſceleratorum cadavera in Puticulos fuiſſe dejecta. Hinc *Eſquiliæ* Horatio *atræ* dictæ. Satyr. 6. lib. 2.

—— at ſimul atras
Ventum eſt Eſquilias.

Ex quibus interpretor eundem Poëtam, uſque adhuc á nemine quod ſciam, intellectum lib. Ἐπῳδῶν Ode: 5.

Vos turba vicatim hinc & hinc ſaxis potens
Contundet obſcenas anus.
Poſt inſepulta membra different lupi
Et Eſquilinæ alites.

id eſt, obſcenæ illæ anus lapidibus interfectæ, quippe

pe quæ ſceleratiſsimæ, in puticulos trahentur; ubi inſepultæ, eſca erunt luporum, & alitum Eſquilinarum. *Inſepulta* enim dixit *membra*; quia non terra obrutæ anus, & quia privatæ ſepultura legitimâ, quam IC. vocabant *juſtam*, id eſt, more & lege approbatam. Marcianus in L. *Divi fratres. 39.* π. de religioſ. & ſumptib. funer. *Divi fratres* (inquit) *E dicto admonuerunt, ne juſta ſepultura traditum, id eſt terra conditum corpus inquietetur.*
(Sedibus ut ſaltem placidis in morte quieſcat) ait Virgil. hoc eſt, *ne corpus legitimè ſepultum exturbetur, aut aliò transferatur.* quod proximum ſacrilegio erat ut ait Imp. in d. L. *pergit audacia.* Cod. de *ſepulchro violato.* Dixit ergo IC. actionem ſepulchri violati dari in eum, qui corpus terra conditum ſollicitabat; quaſi tacitè innuens contrà, non dari in eum, qui corpora damnatorum ſubmovebat. Non ii inſepulti jacebant: ſiquidem terra non humati & tecti, ſed in Puticulos communiter demiſsi. Scelerati namque minimè obruendi terra ſine Præſidis permiſſu. Quòd ſi hujuſmodi aliquando decorati honore, *injuſtè ſepulti* dicebantur. Ælius Lampridius in Commodo, dum jubente Pertinace refert Cadaver Commodi per noctem ſepultum; ſic inducit ſenatum loquentem. *Quo autore ſepelierunt? Parricida ſepultus? eruatur. trahatur.* in Gemonias ſcilicet. Et Cingius Severus alloquitur: *injuſtè ſepultus eſt; quia*

Pontifex dico, hoc collegium Pontificum dixit.

Farentalia denique dicta IUSTA. Græcis νομιζόμενα. Gloſſæ veteres Νόμιμα. IUSTA. Iuſta namque is faciebat, qui, ſacrificio ritè peracto, quod *Humanum* Feſtus appellat, jaciebat glebam.

Ventres pigri Ἀεργὸς. ἀργὸς: *Horatius illuſtratus Paraſiti veloces & voraces.*

CAPVT XVIII.

EFimenidis Poëtæ verſiculum citat D. Paulus in Epiſt. ad Titum cap. 1. nu. 12. qui verſiculus vice proverbii celebratur: adduciturque in proverbio. *Cretiſſa cum Cretenſi.*

Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται κακὰ θηρία, γαστέρες ἀργαί.

Cretes ſemper mendaces, mala beſtia, ventres pigri.

Cujus duo poſtrema verba γαστέρες ἀργαὶ ſolent doctos etjam viros exagitare. Sunt enim, qui interpretentur, *ventres veloces*, id eſt, *voraces*. Qui vertunt *pigri* dicunt ἀργὸς dici, quaſi ἀεργὸς, id eſt, *ſine opere otioſus, incultus*, ut ῥῆμα ἀργὸν, *verbum otioſum* D. Matthæo cap. 12. n. 36. ut ἀργὸς γῆ terra inculta Ariſtot. 2. Oeconom. & Plutarch. in Pericle καὶ τὴν χώραν ἀφῆκεν ἀργὴν καὶ μηλόβοτον. *reliquit* [Anaxagoras Phyſicus] *agros otioſos*, hoc eſt, incultos, & pecori paſcendos. Hujus interpretationis

nis vindicem do Horatium, qui lib. 1. Carmin. Ode 22. imitatus Græcos ſic inquit:

Pone me pigris, ubi nulla campis,
Arbor æſtiva recreatur aura.

pigris, id eſt ἀργοῖς, *otioſis & incultis*. At verò cùm Homerus 1. Iliad. dixit peſtem priùs invaſiſſe mulos, καὶ κύνας ἀργοὺς, ſic: verſu 50.

Οὐρῆας μὲν πρῶτον ἐπῴχετο, καὶ κύνας ἀργούς.

Scholiaſtes exponit, *canes veloces*, hoc eſt, ταχεῖς, vel λευκούς, id eſt, *albos*. Nam ἀργός, inquit, deduci poteſt mutatis aliquot litteris ab ἀγλός *ſplendidus*, & ἀγλαός ab αἴγλη, id eſt, *ſplendor*. Sed alii magis inclinant, ut ἀργός dicatur à pedum velocitate, παρὰ τὸ ἀρκῶ, ὁ ἐπαρκεῖν τοῖς ποσὶ δυνάμενος unde ἵπποι ἄργοι, *equi veloces*, & *albi*. Hinc obiter nota ambiguum Plauti jocum, qui in Aſinaria inquit:

Nunquam edepol quadrigis albis indipiſcet poſtea.

quadrigas albas Gręca locutione dixit: Nam Gręcis ἄργος *citum*, & *album* notat; & *Argos* equorum ferax, *aptum equis Argos*. Horatius: quòd nobile ſit Hetruriæ oppidum præſtantia equorum. Sidonius Apollin. in Panegyrico Majoriano dicto circa principium:

——— *Lacæmodon olivam*
Argos equos. ——

Revertamur vnde digreſsi ſumus. Interpres Nicandri referens illud Homeri κύνας ἀργοὺς *pigros* interpretatur: ſed addit *pigros* dici per εὐφημισμόν,

aut,

aut, ut imperiti loquuntur, per antiphraſim: quia minimè pigri ſint, ſed veloces. Cui Etymologiæ minimè aſſentior; ſed potiùs non malè quadrare ajo ad verſiculi interpretationem, ſi dicas: *ventres veloces*, id eſt, *voraces*. Nam Paraſiti & voraces, veloces finguntur à Poëtis: & ideo Alciatus paraſitis *pernices pedes* tribuit Emblem. 92. ubi vide Franciſcum Sanctium Brocenſem magiſtrum, (heu quondam meum!) & Minoem, vel ideo *ventres veloces*; quia quicquid glutiunt, citò digerunt, voraces, & gulæ dediti. Ventres ergo appellantur paraſiti. Terentius in Phormione act. 5. ſcen. 7. *Pugnos in ventrem ingere*. ubi Donatus docet ea verba ad totum paraſitum referri poſſe. Plutarchus præibit, qui in libello de *diſcrimine adulatoris, & amici* hos verſus, & in cancrum, & in aſſentatorem paraſitumque quadrare ait:

Γαστὴρ ὅλον τὸ σῶμα, πανταχῆ βλέπων
Ὀφθαλμὸς, ἕρπει τοῖς ὀδοῦσι θηρίον. id eſt:

Eſt venter omne corpus undique obtuens
Oculus, ſuiſque beſtia reptat dentibus.

Ariſtoteles etjam *lib. 3 Moral.* oſtendit homines ventri gulæque deditos, appellari ſolere γαστριμάργους, id eſt, *ventres inſanos*. voce quippe compoſita à γαστὴρ *venter*. & μάργος *inſanus*. Vide adag. *Ventres*. Et Matron. Parodus Chærephontem paraſitum laro aſsimilat famelico ob inexplebilem voracitatem, ſic enim ait Πεινῶντι λάρῳ ὄρνιθι ἐοικώς.

Σωφρ-

Σωφρονίζω. locus D. Pauli bis animadverſus. ἀγαθή. κουροτρόφος. Bona femina. *Ennius & Catullus explicati. Hujus nova lectio defenſa.* Sage femme.

CAPVT XIX.

ADmonuit me Caput primum Epiſtolæ ad Titum, ut aliquid etjam de cap. 2. penſitarẽ. *Anus*, inquit, D. Paulus n. 3. *Similiter in habitu ſancto, non criminatrices, non multo vino ſervientes, bene docentes: ut prudentiam doceant: Adoleſcentulas, ut viros ſuos ament, filios ſuos diligant, prudentes, caſtas, ſobrias, domus curam habentes, benignas, ſubditas viris ſuis*, &c. Duo ſunt hîc ex Græca lectione diſpungenda. Nam vox *adoleſcentulas*, nec cum littera majuſcula ſcribenda eſt, neque principium ſententiæ ab illa ſumendum; ut in manuſcripto antiquo, quem penes me ſervo, & veteribus excuſis erat. Sed legendum; *ut prudentiam doceant adoleſcentulas*. Sic nunc in emendatis codicibus. Atque adhuc diſquirendum cenſeo quid ſit *ἵνα σωφρονίζωσι τὰς νέας*: nam cum *σωφρονίζω* ſit etjam *caſtigare, cohibere, imperare*, aptè jungetur cum infinitivo ſequenti in hunc ſenſum: *ut prudentiam docentes cohibeant, & caſtigent adoleſcentulas eſſe virorum amantes.* ubi D. Hieronymus legit. *ut ad caſtitatem erudiant adoleſcentulas*,

 quaſi

quaſi caſtigatione ſua doceant, & doctrina caſtigent. Qui docet, cohibet, & caſtigat. Sic *Proverb. cap.* 19. *n.* 18. כנך יסר id eſt, *Caſtiga filium tuum*, ubi illud יסר Septuaginta vertunt παίδευσον. *erudi.* quam verſionem ſequitur vulgata editio. Et cap. 7. *Eccleſiaſt.* num. 25. *Filii tibi ſunt? erudi illos.* ubi Græcè τέκνά σοί ἐστι; παίδευσον αὐτά. unde Epiſt. ad Hebr. cap. 13. nu. 6. *Quem enim diligit Dominus, caſtigat*. Græcè παιδεύει nempe, ut pater filium: nam hæc eſt diſciplina puerorum, ut cædantur cùm peccant. *Patrium habet Deus*, (ait & Seneca lib de Providentia cap. 2.) *adverſus bonos viros animum: excitari jubent* [Patres] *liberos ad ſtudia obeunda maturè, & ſudorem illis, & interdum lacrymas excutiunt*. Sequitur: *domus curam habentes, benignas*. In Græco Baſileæ excuſo anno ↀ IↃ IↃ XLV. nulla eſt diſtinctio inter οἰκουρούς ἀγαθάς, id eſt, *bonas matres familias*; ita ut epitheton ἀγαθάς, id eſt, *benignas*, vel *bonas*, non faciat diſtinctum ſenſum: ſed conjunctum cum præcedenti ſonet: *bonas matres familias, domi manentes, & domus curam habentes*. Sic Homerus non rarò ἀγαθὴ κουροτρόφος, hoc eſt, *bona nutrix*. ut odyſs. 9. verſ. 27. Τρηχεῖ ἀλλ' ἀγαθὴ κουροτρόφος. Latini Græcos imitati, *bonam feminam* vocabant officioſam, morigeram, & frugi, & illam, quæ curabat ſedulò de rebus domeſticis. Ennius lib. 3. annal.

Tarquinii corpus bona fœmina lavit, & unxit.

quem

quem verſum citat Servius ad illud Virgil. Æneid. 6.

—— *corpuſq́ lavant frigentis & ungunt.*

(intellexêre de Caja Tarquini uxore.) Cicero 3. Philipp. *tuæ*, inquit, *uxoris bonæ fœminæ, locupletis quidem certè Bombalio quidam pater fuit.* Catullus item in Iuliæ, & Mallii Epithalamio.

Vos bonæ, ſenibus unis
Cognitæ bene, fœminæ
Collocate puellulam.

ubi Paſſeratius legit:

Vos bonæ ſenibus bonis.

ut ſit traductio. Lectio fortè confirmanda ex Plauto, qui per antitheſim tertii generis ait:

Bona fœmina, & malus maſculus hîc te volunt.

aptè veteris inſcriptionem lapidis inſeram, ubi in eadem ſignificatione, quâ *bonos ſenes* apud Catullum leges, leges *bonum hominem*. Inſcriptio hæc eſt:

D. M.
ÆMILIO VALERIO
CHORINTHO. HOMINI. BONO.
QVI. VIXIT. ANNO. XL.
DEFVNCTO HONORIBVS AEDILICIIS
ANTONIA TORTONIA
MARITO OBSEQVENTISSIMO
B. M. F.

Inde apud Gallos diſtinctio *bonæ* fœminæ, & *ſapi-*

entis ab ea, quam obſtetricem tantùm ſignificare volunt. Hanc enim vocant *ſage femme*, obſtetricem. Aliam autem *femme ſage*, id eſt, ſapientem, quæ rara avis. Concinnè Philemon,

> Ἀγαθῆς γυναικός ἐστιν, ὦ Νικοστράτη,
> Μὴ κρεῖττον εἶναι τἀνδρὸς, ἀλλ' ὑπήκοον.
> Γυνὴ δὲ νικῶσ' ἄνδρα, κακόν ἐστι μέγα.

innuens eam demum bonam eſſe feminam, quæ morem marito gerat, non quæ imperet, vel ſuperet; & hoc, ne ſit

> ——*uxorem ducere, Polla, virum.*

Damnati non lugebantur. Lugere *quid? vota luctum minuebant. Quo die publicè ſuſcepta? Gajus Juriſconſultus explicatus.* Sedere *in luctu. D. Joannes illuſtratus ex more antiquo. Lex Judæorum propoſita & expoſita.*

CAPVT XX.

PRo mantiſſa ad Cap. 17. addo: Damnatos non ſolùm ſepulturæ honore fraudatos, ſed etjam luctûs caruiſſe officio: & ideò eos lugere prohibitum; Suetonius in Tiberio cap. 61. *Interdictum, ne* inquit, *capite damnatos lugerent propinqui*; ubi *lugere* non tam plorare eſt, quàm lugubria induere, & ornatus habituſque triſtes & atros ſumere; fo-

cum

cum non accendere,& alia vitare,quæ plenâ manu congerunt Meurſius & Kirchmannius de funeribus Romanorum. unde Iulius Paulus ſentent. lib. 2.cap.21.ait: *Qui luget, abſtinere debet à conviviis, ornamentis & alba veſte*. Imp. Gordianus hac mente capiendus in L. *decreto*. 15. 6. *Ex quibus cauſis infamia irrogatur*.ubi luctus diminutionem ad habitum,inquit,duntaxat triſtiorem,ceteraq́ue id genus inſignia pertinere; Non autem ad tempus illud, quo maritos elugeri moris erat, Seneca Ep.63 ait: *Annum feminis ad lugendum conſtituêre majores, non ut tandiu lugerent; ſed ne diutiùs. Ad lugendum*; id eſt, Majores publica conſtitutione (quâ cautum ſpatium lugentibus viros) cum muliebris mœroris pertinacia deciderunt. *Lugere*, inquam, non ſolùm prohibitum quando mortui ſupplicio peremti: ſed etjam quando vota, publicê ſuſcepta,ſolvebantur. Nam religionis cærimoniis penitus adverſari credebatùr luctus. Quod idem obſervatum cum illa intercedebant, quæ Feſtus his verbis,dilaceratus à Paulo,enumerat. *Minuebatur populo luctus Aedis dedicatione, cùm à Cenſoribus luſtrum condebatur; cùm votum publicè ſuſceptum ſolvebatur*. vel ſi Principes viri obirent. Ælius Spartianus de Ælio Vero in Hadriano. *Denique*,inquit,*accepto largiùs antidoto,ingraveſcente valetudine per ſomnum periit: ipſis Calendis Januariis. Quare ab Hadriano lugeri eſt vetitus*. &

in Aelii Veri vita. *Nam cùm de provincia Aelius rediiſſet, atque orationem pulcherrimam, qua hodieq; legitur, ſive per ſe, ſive per ſcriniorum, aut dicendi magiſtros, paraſſet, quâ Calendis Januariis Hadriano patri gratias ageret; accepta potione, qua ſe exiſtimaret juvari, Calendis ipſis Ianuariis periit. Juſſuſq; ab Hadriano, quia vota interveniebant, non lugeri.* Primo namque anni die pro Principis ſalute vota concipiebantur. Hinc dies votorum, Calendæ Ianuariæ nuncupatæ. quamvis IC. Gajus in L. *ſi calvitur*. 233. §. 1. π. de *verbor. ſignif.* tertium diem poſt Calendas Ianuarias ſub appellatione votorum κυρίως venire intelligat, his verbis: *Poſt Kalendas Ianuarias die tertio pro ſalute Principis vota ſuſcipiuntur*. Hic mos prohibendi luctus in morte damnatorum, bellè confirmatur Vlpiani teſtimonio L. *liberorum*. XI. §. *non ſolùm* π. de his qui notan. infam. *Non ſolent autem*, inquit, *ut Neratius ait hoſtes vel perduellionis damnati, nec ſuſpendioſi, nec qui ſibi manus intulerunt, non tædio vitæ, ſed mala conſcientia.* Hujuſce notæ homines non ſolùm tempore Vlpiani non lugebantur; ſed multò antea. Clarè docemur ex §. 1. ejuſdem legis, & ex Marcello in L. *minimè majores*. 35. π. de *relig. & ſumtib. funerum.* qui ab Ogygiis illis temporibus hunc fluxiſſe morem ſcribunt, & ait IC. Marcellus parentes, qui filios, & filios, qui parentes interfeciſſent, non lugendos

inquiens:

inquiens: *minimè majores lugendum putaverunt eum, qui ad patriam delendam, & parentes, & liberos interficiendos venerit: quem ſi filius patrem, aut pater filium occidiſſet, ſine ſcelere, etjam præmio adficiendum omnes conſtituerunt.* ubi nota, præter ea, quæ dixi, verbum *lugendi* ſignificare honorem ſepulturæ. Convincit apertè titulus ſub quo illa lex, & jam laudatum Vlpiani reſponſum. Patet etjam ex eo, quòd Iureconſultus negat minimè lugendos manus ſibi inferentes: In quos ita animadverti apud Græcos ſcripſit Philoſtratus in Heroïcis. *ſepelierunt ipſum* [Ajacem] *condentes interim, manente Calchante, nefas eſſe ſepeliri, qui mortem ſibi ipſi conſciviſſent.* & Plato lib. 9. de legib. ſtatutum, ait, ut haberent ſolitariam ſepulturam; & ut in illis locis conderentur, quæ de duodecim regionis partibus ultima deſerta innominataque fuiſſent: ſic obſcuri, ut neque ſtatua neque ſcripto nomine ſepulchra notarentur. Accedit his Varronis teſtimonium, qui refert apud Servium lib. 12. Aeneid. verſu:

Et nodum informis lethi trabe nectit ab alta.

Suſpendioſis juſta fieri, ac parentari, jure vetitum. quos lugeri non permiſſum Vlpianus teſtatur. Quam verbi *lugendi* ſignificationem manifeſtam reddit Frontinus Stratag. 4. illis verbis: *In legione quæ regium oppidũ injuſſu ducis diruerat animadverſum eſt; ita ut quatuor millia tradita cuſtodiæ necaren-*

necarentur. Præterea SC^to. *cautum eſt, ne quem ex eis ſepelire, vel lugere fas eſſet.* Hinc lucem do DIVI Ioannis verbis cap. 19. n. 25 ubi obſervo Deiparam virginem MARIAM cruci ſtetiſſe, non aſſediſſe; quippe quæ plorabat filium perduellionis accuſatum à Iudæis, & ideo ſupplicio crucis affectum à Romanis, verba ſunt: εἱστήκεισαν δὲ παρὰ τῷ σταυρῷ τοῦ ΙΗΣΟΥ ἡ μήτηρ αὐτοῦ, καὶ ἡ ἀδελφὴ τῆς μητρὸς αὐτοῦ Μαρία ἡ τοῦ Κλωπᾶ καὶ Μαρία ἡ Μαγδαληνή, id eſt, *ſtabant autem juxta crucem* IESV *mater ejus, & ſoror matris ejus, Maria Cleophe & Maria Magdalene.* Dixi non *aſſediſſe: ſedere* enim habitus erat lugentium. Notum tam ex ſacris litteris, quàm ex prophanis. Virgil. Aeneid. 9. verſ. 4.

——luco tunc fortè parentis
Pilumni Turnus ſacratâ valle ſedebat.

Tibullus lib. 2. Eleg. 7.

Illius ad tumulum fugiam, ſupplexq; ſedebo.

Propertius lib. 3. Eleg. 14.

Affert huc unguenta mihi, ſertiſq; ſepulchrum
Ornabit cuſtos ad mea buſta ſedens.

Hinc Cicero lib. 2. de legib. ait: *Nec verò denicales, quæ à nece appellatæ ſunt; quia reſidentur mortui:* quod ſcilicet ſedendo mortuis feriarentur. Id etjam ſacræ paginæ teſtantur, quæ *ſedere* & *flere* conjungunt paſsim. David Pſalmo 136. n. 1. *Super flumina Babylonis; illic ſedimus & flevimus dum recordaremur Sion*: Ezechiel cap. 8. n. 14. *& introduxit*

duxit me per oſtium portæ domus Domini, quod reſpiciebat ad Aquilonem; & ecce ibi mulieres ſedeant plangentes Adonidem.

In nummis etjam Titi Veſpaſiani, qui perdomavit Iudæam, viſitur quædam mulier ſedens ſuper ſpolia bellica; quæ Iudæa, & præ mœrore ſedebat plorans. Quem nummum æreum apud me ſervo, & ſic exprimendum curavi.





Igitur non licuit D. MARIAE ſedere, quare non ſine myſterio eam ſtantem deſcripſit Evangeliſta. Neque aliquis inficias eat, quòd milites cuſtodes ſederunt prope D. N. crucifixum, ut ait D. Matthæus cap. 27. n. 36. quia ii non propinqui ejus erant, quibus id vetitum neque luctus aſsidebant cauſſa: minuſque erit exaudiendus, qui opponat, Mariam Magdalene, & alteram Mariam contra ſepulchrum aſſediſſe, ut Divus Matthæus ca. 27. n. 61. refert: nam à Pilato corpus D. N. jam erat conceſſum ſepulturæ. Quare lugebri non mirum. Denique hæc interpretatio nequaquam tollit illuſtre indicium fortitudinis & conſtantię Virginis, ad quod exercendum Divo Ambroſio in

oratione funebri de obitu Valentiniani Imp. pag. 449. & Divus Chryſoſtomus ad Ioann. d. cap. 19. aliiſque patribus hic locus anſam præbuit: Quia verba Evangeliſtæ ſic à me explicata, illud idem teſtantur. Si enim præ doloris pondere ſubjacuiſſet MARIA feſſa & oppreſſa; reſidiſſet vel reclamante more: Sed cùm acerbitatis ſpectaculum virili animo patienter ferret, legem ad amuſsim obſervavit, & ſimul ſuam conſtantiam omnibus palàm fecit. Quam ſententiam confirmare videor conſuetudine antiqua Romanorum jam à me adducta: Tibi videbitur, licét juràris in verba magiſtri vel de meis conjecturis, non ſincerè cenſeas, eruto, è ſitu in lucem antiquo teſtimonio manu Benedicti Ariemontani exarato, quod beneficio docti viri D. Ioannis Ramirez undequaque ornatiſſimi, ex illius ſchedis licuit tranſcribere. Lege:

Occiſi ex judicio non plorabantur planctu manifeſto; ſed tantùm dolore in corde. Sahedrim c. 7 p. 46. Vides in libro de *Concilio Judicum* morti adjudicatos, deplorandos cautum, *non planctu manifeſto*, id eſt, habitu lugentium communi, & legitimo: ſed *corde*, id eſt, *occultè.* Cui hoc non ſatis, nihil ſatis, & ſatis nihil.

Aſtarte

Aſtarte. Aſtaroth. vera LXX *lectio aſſerta. Aſtaroth etymon. Sidoniorum Dea. Derceto.* Adardaga *Adargatis. Macrobius emendatus. Plinii lectio ſanata Crinitus correctus.*

CAPVT XXI.

NEbriſſenſis cap. 6. Quinquagenæ agens de Bethdagon quædam nimis confuſè inſerit de Aſtarte, & Derceto. quæ, quia non inculcanda ſunt, libuit latiùs explanare: *Aſtarte* Suidas Gręcè dici aſſerit *Aphroditem*, Latinè verò *Venerem.* Nomen enim ab aſtro videtur habere, quia ejus aſtrum Luciferum eſſe fabulantur. Idem ex verſione *Aſtarte*, ait, *Dea Sidoniorum*; *& Chamos Deus Ammonitarum, quos coluit Salomon ductis peregrinis uxoribus.* Ego *Aſtartem* eſſe puto, quæ in ſacris litteris & præcipuè Iudicum cap. 10. n. 6. dicitur *Aſtaroth*, ubi legitur: & *Servierunt Idolis Baalim & Aſtaroth, & Diis Syriæ, ac Sidonis.* Nam 4. Reg. c. 23. n. 13. quæ vulgatus legit Interpres: *Quæ ædificaverat Salomon Rex Iſraël Aſtaroth idolo Sidoniorum.* LXX vertũt ὃν ᾠκοδόμησε Σαλωμὼν βασιλεὺς Ἰσραὴλ τῇ ἀστάρτῃ, (ſic enim legendum; non τῇ ἀσάλτῃ,) ut in antiquis mendoſè) προσοχθίσματι Σιδωνίων. & Regum 1. cap. 31. n. 10. *& poſuerunt arma eius in templo Aſtaroth.* LXX

καὶ ἀνέθηκαν τὰ σκεύη αὐτοῦ εἰς τὸ ἀςαρτεῖον, ubi Schol. εἰς τὸ ἱερὸν τῆς ἀςάρτης. *In templo Aſtartes*, quod Hebræum nomen *Aſtaroth*, ad formam Latinam inflexit. Sanctus Auguſtinus q. 16. ſic: *Aſtartibus*: ubi accuratè diſſerit de interpretatione cap. 2. Iudicum n. 13. quæ mirificè ad rem. Porrò *Aſtaroth* Phœnicûm linguâ ſonat *greges* τὰ μῆλα; quaſi velint dicere à victimarum copia dictam; & David Kimhi, Marinuſque Brixianus quia in Hebræa lingua Aſtaroth, & greges eâdem fermè proferuntur voce, ſuſpicantur idolum fuiſſe figura ovis; quod refert doctiſsimus vir P. Ioannes de Pineda è Societate IESV lib. 7. de rebus Salomonis cap. XI. n. 2. quamvis alia pergat via.

Ea colebatur propriè à Sidoniis, ſicut Dagon à reliquis Phœnicibus & Aſſyriis. Aſtarte quoque dicitur Græcè *Derceto*, & *Dercetis* voce nimirum detorta à Syriaca *Adardaga*, qua illi piſcem ſignificabant. Quare apud Macrobium lib. 1. cap. 21. in ipſo limine, ubi legitur: *Adonim quoque Solem eſſe non dubitatur inſpecta religione Aſſyriorum, apud quos Veneris Architidis, & Adonis maxima olim veneratio viguit, quam nunc Phœnices tenent.* Lego *Veneris Adargatis*, nec è trivio medicina; ſed ex ſingulari Plinii loco, qui lib. 5. Natur. hiſtoriæ cap. 23. inquit: *Bambicen* [Coele habet,] *qua alio nomine Hierapolis vocatur, Siriis verò Magog. ibi prodigioſa Atargatis* [ſcribe *Adargatis*,] *Græcis*

cis autem Derceto dicta colitur. Prodigioſam vocat Plinius quòd muliebri facie eſſet cœtera piſcis. Lucianus in Dea Syria ait Dercetûs imaginem in Phœnicia vidiſſe, ſpectaculum planè peregrinum, altera parte mulierem: altera verò, quantum à femoribus ad imos pedes portendebatur, in piſcis caudam deſinentem, & Ovidius lib. 4. Metamorph.

—— & dubia eſt de te Babylonia narret
Derceti, quam verſa ſquamis velantibus artus
Stagna Palæſtini credunt coluiſſe figura.

exaltationem verò Veneris in ſigno piſcium Aſtrologi differant. Hinc ſanandus Petri Criniti locus lib. 14. de honeſta diſciplina cap. 8. apud noſtri ævi Criticos locus deploratæ ſalutis ut eis videtur, ni carnifices adhibeant manus, ubi corruptè legitur: *Syriorum Dea Adagartis*. Emendant *Aſtartes:* Quam lectionem ex MS. & aliquibus excuſis libris veram eſſe contendunt, cùm potiùs ſola unius litterulæ & ſyllabæ recta collocatione textui medicina & lux detur. Ita: *Syriorum Dea Adargatis.* ipſemet Aurelius Macrobius d. lib. 1. Saturnal. ca. 23. *ſed ſubjungunt,* inquit, *eidem Deam nomine Adargatim.* De Aſtarte meminit Ælianus, qui eam *Deam Syriam* vocat, & latè Lucianus in dicto loco de *Dea Syria,* & Cicero de *natura Deorum,* & Tertullianus in *Apologetico* c. 24. Ioſephus *lib. 1. contra Appionem.* Item Euſebius

de *præparatione Evangelica* lib. 1. cap. 2. & Epiphanius in lib. *de hæretic.* ex aliquorum opinione prodit patrem Melchiſedech dictum fuiſſe *Heraclam*, matrem verò *Aſtaroth.*

Traducere παραδειγματίζειν. *D. Matthæus explicatus. Damnati in exemplum, quò ſupplicia ſpectant. Tacitus interpunctione ſanatus. Pœnæ atrociores.* exempla. *Captivi in pompa catenis vincti, & ducti. Fluvii, urbes, pugnæ. D. Nazianzenus intellectus. Gloſſæ veteres illuſtratæ.*

CAPVT XXII.

CONtradicendi libido, nova atque inaudita inveniendi cupiditas, ita inſedit hac tempeſtate quorundam hominum animis, ut auſi ſint ſacroſanctam Bibliorum ex vulgata verſione fidem communibus & prophanis manibus violare: & vel inſcitiæ interpretem eruditum, vel oſcitantiæ abſque ulla religionis pietate & linguarum cognitione temerè arguere: cùm potiùs tertio quoque verbo admirandum omnibus ſe meritò præbeat; non ſolùm exprimendis ſententiis, quæ vera & neceſſaria tranſlatio; ſed ubi opus eſt verbo verbum curando reddere fidus & dilucidus factus interpres. quod patebit vel cui primis labris linguarum

cognitio

cognitio deguſtata. Eant plenæ teſtimonium in hanc ſententiam ſacræ paginæ. & D. Matth. cap. 1. n. 19. jam olim ab Antonio Nebriſſenſi illuſtratus; & ſic ab interprete vulgato noſtro, Latio donatus. *Joſeph autem vir ejus cùm eſſet juſtus, & nollet eam traducere.* ubi verbo *traducere* nihil aptiùs, nec ſignificãtius reddi potuit. *Traducere* enim eſt damnatorum aliquem populo ſpectandum ignominiæ cauſâ exhibere. Suetonius in Tito cap. 8. *Hos* [delatores] *aßiduè in foro flagellis, ac fuſtibus cæſos, ac noviſsimè traductos per Amphitheatri arenam, partim ſubjici in ſervos, aut venire imperavit: partim in aſperrimam inſularum avehi.* Martialis lib. 6. Epigr. 77.

Ridéris, multoq́ magis traduceris Afer;
Quàm nudus medio ſi ſpatière foro.

Propertius lib. 2. Eleg. 15.

Nec niſi per totam infamis traducerer urbem.

Cùm ergo Deiparam MARIAM deſponſatam ſibi, Ioſeph gravidam adſpiceret, & ejus puram integritatem contemplatus minimè cenſeret ex adulterio concepiſſe: Sed unde, aut quo modo dubitaret, certò ſciens non ex ſe, voluit ſive cogitavit uti juſtus, occultè dimittere eam; non verò *palàm*, id eſt, libello repudii miſſo, ex lege ſcripta. Deuter. 24. num. 1. Hoc indicat verbum illud *traducere*, & Græcum παραδειγματίζειν, quo utitur Divus Matthæus Ἰωσὴφ (inquit) δ' ὁ ἀνὴρ αὐτῆς,

δίκαιος

δίκαιος ὢν καὶ μὴ θέλων αὐτὴν παραδειγματίσαι, id eſt: *Joſeph autem vir ejus juſtus exiſtens, & nollens eam exemplum facere*, hoc eſt, *publicæ ignominiæ proponere*. Sequentia declarant ἐβούλετο λάθρα ἀπολῦσαι αὐτὴν, *voluit, cogitavit, occultè dimittere eam.* illud enim λάθρα, opponitur παραδειγματίσαι, quod Divus Auguſtinus *exemplare* vertit: quia damnati, quando ex pœna traducuntur, traducuntur in exemplum, ut etjam ii, qui afficiuntur pœna. Terentius Adelf. act. 5. ſcen. 1.

D. Tun' ſi meus eſſes? S.
Dîs quidem eſſes, Demea,
Ac tuam rem conſtabiliſſes. S.
Exemplum omnibus
Curarem ut eſſes S. quamobrem?
quid feci? D. rogas?

Tacitus libro 3. annal. ubi agit de C. Lutorii damnatione, qui reus Majeſtatis deferebatur, inducit M. Lepidum quò Lutorius mortem non ſubiret his verbis loquentem. *Sæpe audivi Principem noſtrum conquerentem, ſi quis ſumta morte miſericordiam ejus prævenisſet. Vita Lutorii in integro eſt, qui neque ſervatus in perniciem, neque damnatus in exemplum ibit.* Lipſius legendum è ſententia monet: *In integro eſto.* Cùm potiùs manca videatur: hujuſmodi emendatione, venit ſanandus locus ſola hac interpunctione. *Vita Lutorii in integro, eſt qui neque ſervatus in ſalutem, neque damnatus in*

exemplum

exemplum ibit. ubi deeſt per ellipſim *eſto.* Familiaris huic authori figura. Seneca hanc interpuniendi cauſſas recenſet lib. 1. de Clement. cap. 22. *Tranſeamus,* inquit, *ad alienas injurias, in quibus vindicandis hæc tria lex ſecuta eſt, quæ Princeps quoque ſequi debet. Aut, ut eum quem punit, emendet: aut, ut pœna ejus, cæteros meliores reddat: aut ut ſublatis malis ſecuriores cæteri vivant.* A. Gellius lib. 6. cap. 14. triplici ex ratione enumerat in peccatis puniendis præſcriptum à Philoſophis, & loco tertio collocat τὸ παράδειγμα, quòd à Græcis ſic nominari inquit, ex eo quòd punitio propter exẽplum ſit neceſſaria. Laudatque Platonis locum in Gorgia, qui etjam agnoſcit hanc puniendi rationem his verbis: ἢ παράδειγμα ἄλλοις γίνεσθαι, ἵνα ἄλλοι οἱ ὁρῶντες πάσχοντα φοβούμενοι βελτίους γίνωνται. Claudius Imperator idem ſequutus, qui, ut refert Suetonius in ejus vita cap. 11. Tribunos ac Centuriones interemit exempli ſimul cauſſâ, & quòd ſuam quoque cædem depopoſciſſe cognoverat. Hinc pœnæ dicuntur *exempla:* quia poſſunt exemplo & documento eſſe. Plautus in Moſtellaria:

Exempla edepol faciam ego in te.

Terentius in Eunucho act. 5. ſcen. 5.

Py. *Miſeret me: itaque, ut ne viderem,*
miſera huc, effugi foras.

Quæ futura exempla dicunt in eum indigna?

Hac verbi παραδειγματίζω notione appoſitiſsimè

utuntur LXX Interpretes Num. cap. 25. n. 4. ubi nos legimus: *Tolle cunctos Principes populi, & ſuſpende eos contra ſolem in patibulis:* Sic vertentes λάβε πάντας τοὺς ἀρχηγοὺς τοῦ λαοῦ, καὶ παραδειγμάτισον αὐτοὺς τῷ κυρίῳ κατέναντι τοῦ ἡλίου. pro τὸ παραδειγμάτισον Aquila transfert ἀναπήξον. *confige :* & Symmach. κρέμασον *ſuſpende*, innuentes ſuſpenſionem in exemplum fieri. Et in Ezechiel cap. 28. n. 18. ubi ex litera Hebræa Pagninus; & *dabo te in cinerem ſuper terram in oculis omnium videntium te.* Vulgatus: *In terram projeci te, ante faciem Regum dedi te ut cernerent te.* LXX ἐπὶ τὴν γῆν ἔρριψά σε, ἐναντίον βασιλέων ἔδωκα σε παραδειγματισθῆναι. *In terram projeci te, in conſpectu Regum dedi te ut exemplum eſſes.* Hoc verbi etjam invenitur Eſther τὸν δὲ ἀρξάμενον ἐφ᾽ ἡμᾶς παραδειγμάτισον, *at qui incœpit ſuper nos in exemplum da*, id eſt, diſperde eum. in Epiſtola quoque ad Hebræos cap. 6. n. 6. ἀνασταυροῦντας ἑαυτοῖς τὸν υἱὸν τοῦ θεοῦ καὶ παραδειγματίζοντας. iterum *crucifigentes Filium Dei, & in exemplum dantes*, id eſt, oſtentui habentes, & publicæ exponentes ignominiæ. Quibus in locis κυριώτατως verbum *traducere* & παραδειγματίζειν. Apud Petronium verò in Satyrico μεταφορικῶς, ubi Quartilla juvenes rogavit, ne quod in Priapi ſacello viderant, vulgarent. *Protendo igitur*, inquit, *ad genua veſtra ſupinas manus, petoq́ue & orone nocturnas religiones jocum riſumq́ue faciatis, néve traducere velitis tot annorum ſecreta, quæ*

vix nulli homines noverunt. id eſt, ne palàm faciatis, quæ tot annos ſecreta fuêre; & apud Senecam Epiſt. *id de quo quæris.* 108. de Attalo: *Cùm cœperat, ait, voluptates noſtras traducere, laudare caſtum corpus, ſobriam menſam, puram mentem.* ubi eleganti metaphora, *traducere* ſignificat ita reprehendere, ut turpitudinem noſtrarum voluptatum propter ora omnium irridendam exſibilandamque tanquam in pompa duceret Attalus. Eodem ſenſu loquitur, & eadem metaphora utitur Divus Gregorius Nazianzenus in oratione περὶ τοῦ βαπτίσματος. his verbis: δείξῃς ὅτι τὴν ἁμαρτίαν ὄντως μεμίσηκας παραδειγματίσαι αὐτὴν καὶ θριαμβεῦσαι ὡς ἀξίαν ὕβρεως. id eſt, *oſtendas te odio peccatum habuiſſe traducens illud, & ideo triumphans, ut contumelia dignum.* Nota triumphantium metaphoram. Nam in ipſa pompa Captivi manibus poſt terga revinctis catervatim in ſervitii notam præcedebant. Iuvenalis Satyr. 10. de triumpho Marii. verſ. 278.

> —— *quid illo cive tuliſſet*
> *Natura in terris, quid Roma beatius usque?*
> *Si circumducto captivorum agmine & omni*
> *Bellorum pompa, & animã exhalaſſet opimã?*

Propertius lib. 2. Eleg. 1.

> *Aut Regum auratis circumdata colla catenis,*
> *Actiaq; in ſacra currere roſtra via.*

& non ſolûm captivi in pompã ducti: ſed & fercula onuſta immanibus auſis barbarorũ, eiſque vrbes,

 fluvii,

fluvii, pugnæ, impoſita. *Tacit. 2. annal.* de Germanici triumpho: *Vecta ſpolia, captivi, ſimulachra, montium, fluvium, prœliorum.*
Claudianus:

Hi famulos traherent Reges, hi facta metallis,
Oppida, vel montes, captivaq́ flumina ferrent.

huc alluſit Martialis *lib. 5. Epig. 3.* dum pro Dacica Provincia devicta à Domitiano *aquas* iſtri *famulas* dixit. Expreſsius Rutilius Claudius Numatianus in *Itinera. 1.* ubi per antitheſin vocis *Triumphalis* & *famula* inducit eleganter & victum, ductumq́ue in triumhali pompa, ac victorem Tibrin his verbis:

Ipſe triumphali redimitus arundine Tibris,
Romuleis famulas oſsibus aptet aquas.

quæ fercula captivi ſequebantur Plin. in Panegyrico. *Videor intueri,* inquit, *in manibus auſis barbarorum onuſta fercula, & ſua quemque facta vinctis manibus ſequentem.* vel etjam in ipſis ferculis captivi ſublimes monſtrabantur. Ioſephus de bello Iudaico c. 24. lib. 7. qui hæc fercula *pegmata* vocat. τέτακτο δ' ἐφ' ἑκάστῳ τῶν πηγμάτων ὁ τῆς ἁλισκομένης πόλεως στρατηγός. *impoſitus erat in uno quoque pegmate dux urbis capta.* Ex his omnibus interpretor vetus gloſſarium, à nemine quod ſciam uſque adhuc intellectum, ibi παραδειγματίζω, *Triumpho.* triumphantes enim captivos in exemplum exſibilandos traducebant. Ideò D. Nazianzenus monet noſ-

metipſos

metipſos ita gerere cum peccato oportere, tanquam cum ſervo & captivo; & ſicut triumphantes nos peccatum, vinctum catenis, irridendum ducturos fore. In ſumma, horum ſumma & appendix eſto locus Senecæ variè teſſellatus, mirificoque ſplendore aciem oculorum perſtringens lib. 1. de *Ira*, cap 6. *Hoc uno*, ſcribit, *medentibus erit diſſimilis*; [Preces legum] *quòd illi, quibus vitam non potuerunt largiri, facilem exitum præſtant. Hic damnatum cum dedecore & traductione vita exigit. non quia delectetur illius pœna; (procul eſt enim à ſapiente tam inhumana feritas) ſed ut documentum omnium ſit; & qui vivi noluerunt prodeſſe, morte certè illorum Reſpublica utatur.*

Horarum inventio. æquales & inæquales. Civilis & naturalis dies. Horologia ſolaria. hydrologia. Horæ brumales. æſtivæ. *Martialis interpretatus. Horæ abſolutè. æquales. Plinii duplici loco lux. Paulus IC. illuſtratus. Rebuffi opinio everſa. D. Ioannes intellectus.*

CAPVT XXIII.

HOrarum uſum à Romanis non fuiſſe inventum ad ferè uſque 300 annos, author eſt Plinius Naturalis hiſtor. lib. 7. cap. 60. Cujus teſti-


monium ſuo calculo confirmant Varro de *lingua Latina* lib. 5. & Cenſorinus de *die natali*, ca. 19. Tunc noctem à luce, illam in duodecim horas, hanc in totidem diviſêre: ita ut pro acceſsione ſolis inæquales eſſent. Nam horæ diurnæ ab ortu ſolis uſque ad occaſum: Nocturnæ verò ab Occaſu uſque ad ejuſdem ortum numerabantur. Et cùm antea dies continua ſerie numeraretur, à media nocte pręcedenti uſque ad mediam ſubſequentem, & uſuræ lucis diviſione; (in Mane ſcilicet Meridiem Occaſum, & ſupremam tempeſtatem) factum eſt, jam horarum inventione reperta, ut in Rep. Romana duplicis eſſet diei conſideratio. *Civilis*, & *Naturalis*. Civilis erat, de quo Paulus IC. in L. *more*. 8. π. de *feriis & dilationib.* (quem Naturalem alii vocant) *More*, inquit, *Romano dies à media nocte incipit; & ſequentis noctis media parte finitur. Itaque quicquid in iis* XXIV. *horis, id eſt, duabus dimidiatis noctibus, & luce media actum eſt: Perinde eſt, ac ſi quavis hora lucis actum eſſet*. Gellius item lib. 3. cap. 2. & Macrob. lib. 1. cap. 3. Naturalem verò diem (hunc artificioſum alii dicunt,) qui duodecim horis nocturnis & diurnis totidem diſtinguebatur, bellè deſcripſit Martialis lib. 4. Epig. 8. cujus verba, quia hunc rei ſplendidiſsimam lucem præbent, apponere non gravabor.

Prima ſalutantes, atque altera continet hora,
Exercet raucos tertia cauſidicos.

In

In quintam varios extendit Roma labores,
Sexta quies laſsis, ſeptima finis erit.
Sufficit in nonam nitidis octava palæſtris,
Imperat extructos frangere nona thoros.
Hora libellorum decima eſt, Eupheme, meorū,
Temperat ambroſias cum tua cura dapes.
Et bonus æthereo laxatur nectare Cæſar,
Ingentiq; terit pocula parca manu.

Vnde evenit ut horæ, pro longitudine vel brevitate lucis, modò majores, modò minores, nonnunquam creſcentes, aliquando breviores, oſtenderētur. Solaria enim horologia eo libramento antiqui habuere diſtincta, ut ſextâ diei horâ meridies deſignaretur: & cùm lege naturæ radii ſolares, alij hiberni, alii æſtivi ſint; & ſinguli dies æſtu pariter, atque hyeme, ac æquinoctio, duodenis hiſce horis continerentur; Hinc umbræ aliæ æquinoctiales, aliæ æſtivæ, aliæ hybernæ. hybernas, æſtivas, & æquinoctiales horas deſignabant. Hujuſmodi horologii picturam ob oculos tibi proponimus.



Horologium Horizontale Antiquum.

Sed

Sed cùm aliquoties præ nubilo non cerneretur Sol,ſicque incertæ,diei,horæ eſſent,Scipio Naſica primus eas aquâ diviſit ingruenti neceſsitati remedium commentus,& diem,& noctem dividens. Quod his verbis teſtatur Plinius dicto lib. 7. c.60. *Etjam tum tamen incertæ fuère horæ uſque ad proximum luſtrum. Tunc Scipio Naſica collega Lænatis primus aqua diviſit horas æquè* [ſic lego & interpungo] *noctium, ac dierum*; id eſt, pariter diei ac noctis Inſtrumentum, quo ad hujuſmodi diviſionem utebantur, *Clepſydram*, ſive *hydrologicum* appellabant. De cujus ratione Vitruvius lib. 9. ca. 9. in fine. Hinc *brumales horæ breviſsimæ ipſimet Vitruvio ibi: rediensq́ circumactione ad Capricorni partem octavam reſtituitur celeritatis ſalientis* [aquæ] *ad brumales horarum brevitates*. Plautus etjam in Pſeudolo *hybernam horam* pro anguſta poſuit. Longiſsimæ *Solſtitiales*. idem Vitruvius. ubi ſuprà: *tardiùs fluendo dilatat morando ſpatia, & efficit horas in Cancri ſigno Solſtitiales*. Quas vocat Martialis *æſtivas* lib. 12. Epigr. 1. Alloquitur Priſcum, ut dum à venatione aprorum vacat, quæ eſt in hyeme (vel ex mythologia fabulæ Adonis ab apro occiſi) libellum ſuum legat, in quo perluſtrando nempe ſuccincto, integram minimè collocandam horam pollicetur. Quamvis tunc temporis breviſsima, quippe quæ non æſtiva; ſed brumalis. nec malè collocare ſe illam ait, licet totam

impen-

impendat. Otio namque Lector nequaquam abutitur in Martiale legendo. verba ſunt:

Retia dum ceſſant, latratoreſque Moloſsi,
Et non invento ſilva quieſcit apro,
Otia, Priſce, brevi poteris donare libello
Hora nec æſtiva eſt, nec tibi tota perit.

Hinc lucem do verbis Plinii Iunioris lib. 1. Epiſt. 3. *ubi hora balinei,* inquit, *nuntiata eſt (Eſt autem hyeme nona, æſtate octava) in Sole, ſi caret vento, ambulat nudus.* Hora enim lavationi adſignata, cœnæ horam antecedebat: & quia æſtate horæ longiſsimæ, contrà hyeme, cœna apud veteres æſtate horâ cœnâ; hyeme decimâ erat. *Aequinoctiales* autem horæ, æquales erant, tam diei naturalis, quàm Civilis; eo tamen diſcrimine; quòd in die Civili ſemper æquales: in naturali verò tantùm in ariete & libra. Sic Vitruvius d. cap. 9. lib. 9. *Et ita,* ait, *perveniens ad puncta libræ & æquinoctiales reddit horas.* At cùm *horas* abſque adjectione lego has ipſas æquinoctiales ſumendas reor, id eſt, partem totius diei vigeſimam quartam, quæ in 60. diſtinguitur minuta; ut ſæpe loquitur Galenus ἰσημερινάς. nihil verò addens veluti cùm tradit: τριταῖον πυρετὸν ἐντὸς τῶν δώδεκα ὀρῶν παύεσθαι. Ex quibus facem quatio Plinii obſcuro loco lib. 8. cap. 25. qui poſtquam egit de verno, & Autumni æquinoctio, ſic ſcripſit: *Horæ nunc in omni acceſsione æquinoctiales, non cujuſcunque diei ſignificantur,* id eſt: nunc, cùm

horas ſine adjectione aliqua audies, *æquinoctiales*, hoc eſt, æquales intellige. Et hoc in ſolis quocunque abſceſſu vel adventu, non herculè horæ abſolutè appoſitæ, horę cujuſcunque diei ſignificantur, id eſt, Brumalis, Autumnalis, vel diei æſtivi, quorum dierum horæ pro temporis ratione creſcunt, vel minuuntur; ſed æquales ſolùm. Hoc namque ſignificat τὸ *cujuſcunque* videlicet, *Horas peculiares cujuſque diei, quæ inæquales ſunt.* Quique enim dies naturalis, quaſque ſuas proprias alteri non communes, horas habet. Quod de diebus civilibus nequaquam dici poteſt, cùm hi non ſinguli ſingulas; ſed omnes dies eaſdem horas ejuſdem longitudinis habeant, non ejuſdem numeri. Quam interpretationem ipſiuſmet Plinii verbis pulchrè confirmo lib. 2. cap. 97. qui de receſſu & acceſſu æſtus maris ſic inquit. *Nec unquam eodem tempore, quo pridie reflui, ut ancillante ſidere trahenteq́; ſecum avido æſtu maria, & aſsiduè aliundè, quàm pridie ex oriente: paribus tamen intervallis reciproci, ſeniſq́; ſemper horis, non cujuſque diei,* (attende) *aut noctis, aut loci, ſed æquinoctialibus: ideoq́; inæquales vulgarium horarum ſpatio, utcunque plures* [legant alii ut voluerint] *in eas, aut diei, aut noctis illarum menſuræ cadunt, & æquinoctio tantùm pares ubique.* docet per ſex horas æſtum maris accedere & recedere, *Æquinoctiales* verò, non *inæquales*, id eſt, proprias cujuſque diei: nec quæ ejuſdem ſpatii

in

in alio numerentur die. Ecce viam munio ad illuſtrationem legis 2. §. *cujuſque diei.* π. de *verborum ſignif.* ubi in hæc verba Paulus IC. *Cujuſque diei major pars eſt horarum primarum, non ſupremarum,* id eſt, horæ ſeptem primæ, Naturalis ſcilicet diei, eſt melior & major pars diei; quàm ſeptem ſupremæ ita numeratæ, ut jam enumeravi & ſcripſi ad Martialem lib. 4. Epigr. 8. n. 1. quod intelligendum de illis, quas dixi, peculiaribus *cujuſque diei* horis; quæ aliquando longæ, aliquando breves & æquinoctiales. Hoc enim operatur dictio illa *diei*, non otioſè à Iureconſulto geminata. Quare meritò explodenda eſt Rebuffi opinio in d. L. 2. num. 10. docentis nullam exſtare in jure noſtro differentiam naturalis, civiliſque diei, quo ad horarum utilitatem, & conſiderationem: & ideò dictum Pauli reſponſum intelligendum, non ſolùm de naturali, verùm etjam de civili die. Quod planè juri contrarium videtur: in quo utriuſque diei diverſus uſus. Eorum namque apud Iuriſconſultos ſemper magnum diſcrimen invenitur. *Civilis diei* in L. *more.* L. in *uſucapione.* & L. ſeq. π. de *uſucapionib.* L. à *qua ætate.* π. *Qui teſtam. fac poſſ.* L. 1. π. de *manumiſſionib.* & pæne infinitis textibus. *Naturalis* autem L. 3. §. *minorem.* π. de *minorib.* L. *qui bona.* 23. verſ. & *magis* juncta L. *bonæ fidei.* §. 1. verſ. *illud factum.* π. de *acquir. rerum domin.* L. *in omnibus.* 6. π. de *action. & obligat.* Deinde non ſeptem

 horæ

horæ tantùm cum quinque reliquis, ut in hac d. L. 2. ſecundum Rebuffi opinionem neceſſariò conferebantur: ſed horarum ſeptem inſtituebatur collatio cum horis novem, & cum decem aliquando. Lux enim Civilis diei æſtate, vel in Italia, quindecim, aut ſedecim durat horis. De hiſce naturalis diei horis intelligendus D. Ioannes cap. 11. nu. 9. οὐχὶ δώδεκα ὧραι εἰσιν τῆς ἡμέρας; *nónne duodecim horæ ſunt diei?* & ad hanc inæqualium horarum normam tempus enumerandum cenſeo, quo tenebræ factæ fuerunt ſuper terram, D. N. in cruce pendente. Verba enim illa *hora ſexta*, meridiem ſignificant.

Aſconius Pedianus etjam diei naturalis meminit. & hac ratione interpretandum Adagium vulgò circumlatum *Hora duodecima ædificas* de eo, qui jam Acherontinus, ut ait ille, ad vitæ pervenit metam, & nihilominus multa in hac vita, quod fallaciſsimum eſt, molitur, æterna oblivioni tradens. Huc pertinebat de Horis Planetariis notio,

Notior at non eſt canibus jam Delia noſtris.

Nix

Nix an alba ex Anaxagoræ opinione? Oculorum ſenſus fallax. aqua tacita. Vellus aquarum. ἐριώδες ὕδως antiquis dicta. Rex David explicatus. Qui dat nivem ſicut lanam. *Nux allegoricè ablutio peccatorum.*

CAPVT XXIV.

HOmine imperito nũquam quicquam injuſtius,
Qui, niſi quod ipſe facit, nil rectum putat.

Si hæc Comici ſententia vera eſt, homines imperiti, ſunt procul dubio injuſti. Nec mirum: Nam ſi Iuſtitia tribuit ſuum cuique, ſuum cuique non tribuere injuſtitia erit. Vera ſapientia de rebus incorruptè judicat, & talem unamquamque repræſentat, qualis ipſa eſt, nec ulla major quàm veritatis jactura. Verisſime Horatius Epiſt. 10. lib. 1.

Non qui Sidonio contendere callidus oſtro
Neſcit Aquinatem potantia vellera fucum;
Certiùs accipiet damnum, propriúſve medullis,
Quàm qui non poterit verũ diſtinguere falsò.

Quia dixi aliquando, forte ut aliorum ingenia experirer, nivem eſſe aquam, & viſu tantùm, albam; ſtatim ſucclamatum eſt. *Vre, occide, verbera:* & falſo auctario aſſertum me ita aſsiduè loqui cum ningeret. *O amici, cernitis nivem non eſſe albam? nónne videtis pluere?* At adoleſcens ſum, & adhuc juve-

 nis,

nis, nunquam tamen uſque ad mortem deliqui. Quis hæc mihi excidiſſe? ecquis unquam protuliſſe teſtis? Sed nunc ego, quamvis laceſsitus, pro maledictis reponam libens benedicta; ac illis obæſis Doctoribus, qui mihi ſic confidenter objectarint, dicam ſeriò: Nive decidente è cœlo aquam effluere, & ex opinione Anaxagoræ, falſa tamen, nivem non eſſe albam. Ad hoc, illud primum mihi dari & concedi poſtulo, viſum eſſe ex quinque ſenſibus cui credi minimum oporteat. Epicurus dicebat ſolem eſſe bipedalem, quia talis videretur. *Stoici*, inquit, Cicero 4. Academ. *multa falſa eſſe dicunt*, longéque *aliter ſe habere, ac ſenſibus videantur*. Et quid tritum magis apud Philoſophos, quàm quæſtiones illæ de remo inflexo? & de columbæ collo? Nónne vides cum ſecundo flumine veheris, vaccas, aut oves, aut etjam quercus, quàm citiſsimè moveri cum tu ſolus qui deſeris, vel conſpicis illa, moveare? Ipſe Cicero lib. 2. de divinat. ſcripſit, ubi de Caldæis, qui natalitia ſidera notabant. *Oculorum fallaciſsimo ſenſu judicant ea, quæ ratione, atque animo videre debebant*. Hinc, quia dicebat Anaxagoras aquam nigram eſſe, ex qua concreta nix, non modò non negabat albam eſſe; ſed ne videri quidem, teſte eodem Cicerone d. lib. 4. ad finem; immo nigram aſſeverabat eſſe, ut paulò antè refert idem Cicero his verbis: *Anaxagoras nivem nigram dixit eſſe*. Quam opinionem etjam,

jam, ex aliquorum ſententia adſcribit Anaxagorę Galenus lib. 2. de virtute ſimplicium remediorum circa finem, verba ſunt: καὶ τίνες ἐξ αὐτοῦ καὶ τὸν Ἀναξάγοραν ἐστι καλοῦνται μάρτυρα, περὶ χίονος ἀποφϑεγγόμενον ὡς οὐκ εἴη λευκή· id eſt, *Atque iſtorum nonnulli etjam Anaxagoram teſtem adducunt, qui de nive pronuntiarit, quòd non ſit alba.* Iam ſuccedit ſecundum; *pluere cùm ningit.* Nix enim (ut vulgare Philoſophis) quid aliud eſt quàm aqua concreta? ſume in manus, donec exeat aër ille incluſus, non videbis aquam? vel ut ait Plinius lib. 17. cap. 11. *aquarum cæleſtium ſpuma.* Apuleius lib. de mundo. *Niveſque,* inquit, *colligi jactatione denſarum nubium: Nam priuſquam in aquam defluant fracta, ac diſciſſa ſpumas agitationibus ſuis faciunt, & mox gelatus humor rigore frigoris inhorreſcit.* Ambo ex Ariſtotele lib. de *mundo*, cap. 4. Ad noſtrum propoſitum, appoſitiſsimè Martialis lib. 4. *Epigr.* 3.

Aſpice quàm denſum tacitarū vellus aquarum,
Defluat in vultus Cæſaris inque ſinus.
Indulget tamen ille Jovi, nec vertice moto
Concretas pigro frigore ridet aquas.

& ultimo diſticho:

Quis ſiccis laſcivit aquis & ab æthere ludit?
Suſpicor has pueri Cæſaris eſſe nives.

ubi nota τὰ *vellus aquarum* per ſimilitudinem poſita; Nam nix aſsimilatur velleri. Vnde à veteribus Græcis ἐρεῶδες ὕδωρ vocabatur. id eſt, *aqua la-*

nata

nata. Cui locutioni præbuiſſe anſam S. Regem David Euſtatius ad Dyoniſii περιήγησιν teſtatur his verbis: τὴν χώνα ἐριῶδες ὕδωρ ἀστείως οἱ παλαιοὶ φασὶ τοῦ σοφοῦ βασιλέως Δαβὶδ ἀφορμὴν ἐνδόντος αὐτοῖς ὅτε εἴπη διδόντος χίονα αὐτοῦ ὡσεὶ ἔριον. id eſt, *eleganter veteres nivem lanatam aquam dicunt, præbetq́; iis occaſionem ſapiens Rex David cùm dicit: Qui dat nivem ſicut lanam*. Pſalmus eſt 147. n. 5. ubi in hæc verba Propheta: *Qui dat nivem ſicut lanam, nebulam ſicut cinerem ſpargit*, hoc eſt, qui dat per eloquium ſuum terræ immiſſum, nivem, quæ ſpecimen reddit lanæ. Qui ſenſus quadrat ad litteram. in myſtico etjam convenit intelligere Deum per Evangelii prædicationem dare nivem, purgationem ſcilicet peccatorum, ut Divus Hieronymus interpretatur. Confirmo ex Iſaiæ cap. 1. n. 18. ubi à nive & lana comparatione mutuata, futuram ablutionem peccatorum expreſsit inquiens: *Si fuerint peccata veſtra ſicut coccinum, velut nix dealbabuntur: & ſi fuerint rubra, ſicut vermiculus, velut lana alba erunt*. Peccatores enim ad inſtar nivis & lanæ candidæ dealbatos reddit Evangelii prædicatio. Quod de ſeipſo profitetur David Pſal. 50. *Aſperges me Domine hyſſopo, & mundabor; lavabis me, & ſuper nivem dealbabor.*

Græci

Græci prolixam barbam aluerunt. primùm tondere ſoliti. raſerunt Alexandri ævo. ξυρέω. προχείρω. *in ſupplicando mentum attingebant. Homerus barbatus. Philoſophi. Milites radebant barbam, ne ea ab hoſtibus comprehenderentur. Huic rei conſtituta pecunia. Alexander magnus* Hircus *vocatus. Græci* capellæ, *Juvenalis explicatus. Sub Domitiano Græci barbati. Imperatores Romani ab Hadriano.*

CAPVT XXV.

GRæcos barbam promiſſam habuiſſe, & primò eam tondere ſolitos. Poſt verò ad cutem uſque raſiſſe teſtis locupletiſsimus eſt Dio Chryſoſtomus, in *oratione priori Tarſica.* 33. his verbis: γενείων τὸ πρῶτον εὑρέθη κουρὰ, καὶ τοῦτ᾽ ἐδόκει μέτριον τὸ μὴ σφόδρα καθεικέναι, μηδ᾽ ἐπὶ πλέον. ἀλλὰ πράως ἐπανορθοῦν τὴν φύσιν. οὐκοῦν ὁ τοιοῦτος, ἐδόκει πολλοῖς ἐπιδέξιος. εἶτα ἐξύρων μέχρι τῶν παρειῶν, id eſt, *barbarum primum inventa eſt tonſura, & videbatur moderatum eſſe ne valde promitterentur; neque nimium, ſed leniter corrigeretur Natura, videbatur multis ſtrenuus. Deinde radebant uſque ad genas.* Qui tondendi mos tempore Alexandri magni initium habuit, ut *Chryſippus apud Athenæum lib.* 13. *cap.* 6. facilè perſuadet.

ſaudet. τὸ ξυρεῖσθαι, inquit, τὸν πώγωνα κατ' Ἀλέξανδρον προῆκται τῶν πρώτων οὐ χρωμένων αὐτῷ. καὶ γὰρ Τιμόθεος ὁ αὐλητὴς πώγωνα μέγαν ἔχων ηὔλει, καὶ ἐν Ἀθήναις διατηροῦσιν οὐ σφόδρα ἀρχαῖον τὸν πρῶτον περικειράμενον παρωνύμιον ἔχειν κόρσην. id eſt, *Alexandri temporibus tondendæ barbæ conſuetudinem inoleviſſe, avoq; priore hoc fuiſſe inuſitatum: cùm tibicen ille Timotheus prolixâ barbâ tibias inflaret, & Athenis obſervatum ſit non admodum vetuſtum eſſe, illum, cui primùm tonſa eſt. Ideo Corſen fuiſſe cognominatum.* ubi ξυρέω & περικείρω, quæ verba promiſcuè *tondere* & *radere* ſignificant in ſtricta tondendi notione accipio. ductus laudata jam Dionis authoritate, qua docemur Græcos primùm totondiſſe, quàm raſiſſe barbam; & nullibi memini me legiſſe ante Alexandri ævum totondiſſe vel raſiſſe unquam. imo Timotheum illum tubicinem barbatum fuiſſe invenio. cujus meminit Athenæus cantilenis ſuis ad arma excitaſſe Alexandrum; & teſtatur Suidas verbo *Alexander Macedo*, & verbo Τιμόθεος. *Therſandri, aut Neomyſi filius*. Antiquos etjam Græcos intonſos fuiſſe, vel ex illo attingendæ barbæ in ſacrificiis more cõſtat, quem Plinius refert l. 11. c. 45. *Antiquis*, ait, *Græciæ in ſupplicando mentum attingere mos erat*. Homerus etjam videtur excuſus in quodam nummo, cujus altera pars eum barbatum repræſentat, habentem capillos diademate, ſive tenui vittula obvinctos, cum inſcriptione. ΟΜΕΡΟΣ.

altera

altera Melen fluvium oſtendit urnā innixum, dextra lyram tenentem ſuper genua erectam, Cum inſcriptione ſubtus. ΜΕΛΗΣ & in circuitu ΑΜΑΣΤΡΙΑΝΩΝ. Amaſtriani enim, quò de Poëtæ vetuſtiſsima in eos memoria grati eſſent numum æreum excuderunt, ut meliùs in illo, ſub proprio Homeri nomine dedicando, de eo meriti viderentur, quàm ſi templum vel ſtatuam eidē erexiſſent; quoniam numus omnium manibus teritur, & oculis obſervatur. Excuderunt Melen; quia prope hunc fluvium natus Homerus credebatur. undè *Meleſigenes* appellatus, antequam oculos amitteret ex opinione Suidæ. Nummus talis eſt.



In omni, inquam, Græcia comam & barbam aluerunt: ubi barbati Philoſophi, quos Ennius *Caſcos* vocat, & Socratem Perſius *barbatum magiſtrum*. Satyr. 4. verſ. 1.

—*barbatum hoc crede magiſtrum*
Dicere. —

& Aurelius Prudentius contra Symmachum li. 2.

 barbatos

barbatos Sophiſtas, dixit:

Multiplicis dux dæmon at eſt, qui parte ſiniſtra
Centifidum confundit iter; trahit inde Sophiſtas
Barbatos.

Ergo tondendæ barbæ inventionem, non verò radendæ excogitatam fuiſſe Alexandri ævo certum eſt. Neque Plutarchi autoritas ab hac opinione deterret, ubi refert Alexandrum juſsiſſe militibus abradi barbam, in *vita Theſei* ſcilicet, & in *apophteg.* Nam hoc militibus præcepit, ne in conflictu belli hoſtibus præda forent; non habitus cauſſâ. Quod jam olim factitatum eadem ex ratione docet vetus Poëta Alexis apud Athenæum li. 13. his verbis: πιτλοκοπούμενον τίν' ἢ ξυρούμενον ὁρῶς τοῦτον ἔχει τι θάτερον ἢ γὰρ στρατεύειν ἐπινοεῖν μοι φαίνεται, καὶ πάντα τῷ πώγωνι, id eſt, *glabrum pice, quem vel raſum vides. Horum habet alterutrum, vel mihi videtur militare velle, & omnia barbæ facere contraria*, &c. Hinc docebat vir ſummus Sacræ Theologiæ magiſter, quem hîc nominare ſuperſedeo; Cujus ex Horto (ſed HORTENSIVM nomino lector) leges regia & egregia: audis immo quotidie, *Verticem capilli* dici nominanter. *Pſ. 67. verſ. 22.* quòd poſteriorem partem capitis intelligat regius Propheta. Raſi enim à frõte inimici, quia ibi de pugna & triumpho. Verba ſunt: *Veruntamen Deus confringet capita inimicorum ſuorum, verticem capilli perambulantium in delictis ſuis.* & notat *verticem capilli*,

in

in Hebræo ſonare partem, quam dixi, poſteriorem capitis. Citatque Homerum, qui in occipitio tãtùm comatos inducit Abantes, *Ilia.* 13. *ver.* 542.

τῶ δ' ἅμ' Ἄβαντες ἕποντο θοοὶ ὄπιθεν
Αἰχμηταὶ —— id eſt,

Hunc [Elephenorem] *ſimul Abantes*
Sequebantur veloces à tergo comati Pugnaces.

unde & Statius lib. 7. Thebaidos:

— Chromin atque in terga comantes,
Non ego Abantiadas, non te ſaxoſa Chariſte
Non humiles Aegas, altumq́ Caphærea dixi.

Pollux compoſita voce ὀπισθοκόμας eoſdem appellat. Similiter Curetas & Ætolos tradunt abraſiſſe frontem, & ab occipite cæſariem nutriſſe, ne ab hoſte crinibus raperentur. Cùm à fronte eſſent capillati: de utroque Strabo *lib.* 10. & tempore Conſtantini Imperatoris obſervatum idem elicio ex Ammiani Marcellini verbis lib. 17. ad medium. *Hoc,* inquit, *exinde claruit fraude potiùs, quàm tenacitate committi; quod cùm idem Cæſar petenti ex uſu gregario cuidam, ut barbas detonderet, dediſſet aliquid vile, contumelioſis calumniis appetitus eſt, à Gaudentio tunc Notario.* Ex quibus manifeſtè patet ævo Alexandri magni Græcos cœpiſſe barbas tondere. Quos hircinum geſtaſſe mentum non inſulſè dixeris. Nam Apuleius ſimili ſcommate inuſsit notam alenti promiſſam barbam, ut Philoſophus videretur: *hircino* inquit, *barbitio*

Philoſophum mentitus. Sic egregius Ronſardus:

Si la grande barbe au menton
faiſoit Philoſophe paroiſtre
un bouc barbaſſé pourroit eſtre
par ce moyen quelque Platon.

ad rem Herodes Atticus apud Gellium lib. 9. c. 2. *Video barbam, & pallium: Philoſophum non video.* Lactantius lib. de *Falſa ſapientia* cap. 24. ubi inſectatur eos, qui barba & pallio velut ſophiſticis inſignibus gloriantur. *Maximum itaque argumentum eſt, Philoſophiam neque ſapientiam oſtendere, neque ipſam eſſe ſapientiam, quod myſterium ejus barbâ tantùm celebratur, & pallio.* Et de Iuſtitia cap. 11. *Tamen vitia ſua capillis, &, quod* MAXIMVM EST VELAMENTVM *divitiis præ tegebat.* Hinc intelligendam propono & propino volentibus (quippe in conviviis lautis nemo eſt, viri boni, qui vos cogat bibere) ſimilitudinem Prophetiæ *Danielis cap.* 8. ubi comparat Alexandrum magnum regem Græcorum (qui ab Occidentali plaga, reſpectu Mediæ & Perſidis venit uſque Suſas, ubi Darium ſuperavit,) hirco caprarum, & Græcos ſimiliter capillis. *Ecce autem,* ait, *hircus caprarum veniebat ab Occidente ſuper faciem totius terræ, & non tangebat terram.* & paulò pòſt ſe explicans. *Aries,* inquit, *quem vidiſti habere cornua, Rex Medorum eſt. Porrò hircus Caprarum, Rex Græcorum eſt.* Vides quia Alexander & Græci bar-

barbati erant, hircum & capras eos appellaſſe Danielem? Deinde animadverte μνημονικὸν ἁμάρτημα Divi Hieronymi, magnis viris familiare vitium; vel incuriam & errorem librariorum, in quam ſententiam proclivior eo, *lib. 3. Epiſtolarum in vita Hilarionis* in principio, ubi hircum & arietem de Alexandro dici ſcripſit; ſeu potiùs dubitat, per quam illarum beſtiarum hirci, arietis, pardi, ſignificetur Alexander. hæc ſunt verba: *Alexander magnus Macedo, quem vel arietem, vel pardum, vel hircum caprarum Daniel vocat, cũ ad Achillis tumulum perveniſſet. Felicem te ait juvenis, qui magno fruaris præcone meritorum; Homerum videlicet ſignificans.* Adhuc abnuis. Audi. Poſteriori etjam ætate Græcos, quia barbatos, capras nominari apertè probo ex malè accepto uſque adhuc loco Iuvenal. *Sat. 5. verſ.* 153. cui, ni fallor, accendo facem.

Tu ſcabie frueris mali quod in aggere rodit,
Qui tegitur parmâ & galea; metuenſq; flagelli
Dicit ab hirſuta jaculum torquere capella.

ubi Iuvenalis deſcribit beſtiarum, qui ſub magiſtro jaculum torquere & emittere diſcebat; quo feras eruditè tranſverberaret in Circo: & obiter Romanorum deſidiam Satyrico ſale perſtringit. quia tunc non ſub veterani alicujus militis, & Centurionis diſciplinâ meditabantur tyrones Romani; ſed ſub Græculo Magiſtro, in aggere Vrbano, de

quo

quo Strabo *lib. 5. in deſcriptione Romæ:* cujùs meminêre Plinius, Pomponius, & ipſemet Iuvenal. Satyr. 6. verſ. 588.

Plebeium in Circo poſitum eſt, & in aggere fatum.

Quam interpretationem laudati loci Iuvenalis paraphraſtica quadam explicatione cõfirmat Plinius in Panegyrico Trajano dicto; ubi agens de Imperatoris meditatione campeſtri; & ignavia Romanorum, qui, non ut Heroicis illis temporibus tyrones erudiebant haſtilia jacere, ſudem torquere, equum agitare, arma tractare adſtante Centurione, quaſi arbitro & Doctore, teſte Feſto, qui ait: *ſub vinea jacere dicuntur milites cum adſtantibus Centurionibus jacere coguntur ſudes*; ſed dediti in ceromate & haphe vires ſpecie exercendi, frangebant, & corpora effœminabant. Sic inquit: *Hac mihi admiratione dignus Imperator non videretur, ſi inter Fabricios, & Scipiones, & Camillos talis eſſet: tunc enim illum meditationis ardor, ſemperq́ melior aliquis aſcenderet. Poſtquam verò ſtudium armorum à manibus ad oculos, ad voluptatem à labore tranſlatum eſt. Poſtquam exercitationibus noſtris, non veteranorum aliquis cui decus muralis, aut civica; ſed Græculus magiſter aſſiſtit: quàm magnum eſt unum ex omnibus, patrio more, patria virtute lætari, & ſine æmulo, ac ſine exemplo, ſecum certare, ſecum contendere, ac ſicut imperat ſolus, ſolum ita eſſe, qui debeat imperare?*

Hunc

Hunc magiſtrum vocabant Græci *Maſtigophorum* & *Progymnaſten*, de quo Claudianus:

—— *inſonuit cum verbere ſigna magiſter.*

Dixit ergo Iuvenalis Græculum magiſtrum per irriſionem *capellam*, tunc etjam temporis, Domitiano & Trajano Imperatoribus, Romani imberbes incedebant: Græci barbati. Patet ex Dionis Chryſoſtomi ſingulari teſtimonio in *oratione Boryſthenitica* 36. qui ſub Trajano floruit ex Photio in Bibliotheca; Suida, & Philoſtrato. Πάνυ οὖν ἄν τις ἥσθη τῇ ὄψει φιλόσοφος ἀνὴρ ὅτι ἅπαντες ἦσαν τὸν ἀρχαῖον τρόπον ὥς φησιν Ὅμηρος τοὺς Ἕλληνας κομῶντες, καὶ τὰ γένεια ἀφηκότες. εἷς δὲ ἐν αὐτοῖς μόνος ἐξυρημένος καὶ τοῦτον ἐλοιδόρουν τε καὶ ἐμίσουν ἅπαντες ἐλέγετο δὲ οὐκ ἄλλως τοῦτο ἐπιτηδεύειν ἀλλὰ κολακεύων Ρομαίοις τὴν πρὸς αὐτοὺς φιλίαν ἐπιδεικνύμενος ὥς τε εἶδεν ἄν τις ἐπ' ἐκείνου τὸ αἰσχρὸν τοῦ πράγματος καὶ οὐδαμῇ πρέπον ἀνδράσιν, id eſt, *oppido igitur gaviſus eſſet adſpectu Philoſophus quiſpiam, quod omnes antiquum juxta morem (ut Græcos deſcribit Homerus) comam gerebant, barbamq; promiſſam. unus autem ſolus inter eos erat raſus, & hunc conviciis inceſſebant, oderantq; omnes. Dicebatur enim non ob aliud huic rei operam dare, quàm quòd adularetur Romanis: & amicitiam erga illos declararet; ut in eo videre liceret turpitudinem rei, & id quod minimè viros decebat.* Nam Romani Imperatores ab Hadriano barbati ferè omnes; ipſe enim ex Cæſaribus primus barbam pexam aluit, & capillum.

Xiphilinus ex Dione. Idem teſtantur antiqui numi. Ex his æreum talem habeo.

Hadriani numus.



De Ælio verò ſic ſcripſit Iulius Capitolinus. *Fuit decorus corpore, barba propè barbaricè demiſſa, procerus, & fronte in ſupercilia adductiore venerabilis.* Cujus effigiem, ex numo æreo, (quem apud me ſervo) tranſcriptam, excudendam curavi. Quo videas prolixiorem barbam) quàm alii Imperatores) habuiſſe.

Veri numus.



Iulianus item Apoſtata Miſopogonem ſcripſit in Syrios & Antiochenſes, qui ejus promiſſam barbam ſubſannabant, ut docet vel ipſius Iuliani Miſopogon, & Appianus Marcell. li.22. circa finem,

cujus

cujus integrum locum, quia ad rem mirificè conducit, tranſcribere non gravabor, *Quocirca*, inquit, *deinceps ſæviens in obtrectatores, & contumaces volumen compoſuit invectivum, quod* Antiochenſe, *vel* Miſopogonem, *appellavit*, probra *civitatis infenſa mente dinumerans, addenſq́ veritati complura: poſt quæ multa in ſe facetè dicta comperiens, coactus diſsimulare pro tempore, ira ſufflabatur interna: ridebatur enim, ut Cercops homo brevis, humeros extentans anguſtos, & barbam præ ſe ferens* hircinam, *grandiaq́ incedere, tanquam oti frater & Ephialtis, quorum proceritatem Homerus in immenſum tollit. Quare* Palatinos eum appellaſſe *Capellam*, teſtatur idem Ammianus li. 17. poſt medium, his verbis: *Omnes, qui plus poterant in Palatio adulandi profeſſores jam docti, rectè conſulta, proſpereq́ completa vertebant in deridiculum talia ſine modo ſtrepentes inſulsè*, IN ODIVM VENIT CVM VICTORIIS SVIS CAPELLA, NON HOMO.

Poetarum Fabulæ, Philoſophorum dogmata & ſententiæ, Religioſi Romanorum mores è Sacra Scriptura pravè tamen. Duplex apud Judæos politica excalceatio: Pœnalis. confirmatoria Flavio Joſepho medicina. Hymenæus ſoccatus. Locus Virgilii elucidatus. Garſias noſter Laſſus illuſtratus. Mos Turcarum in diſſidio.

CAPVT XXVI.

POëtarum Fabulas è ſacro Prophetarum fonte derivatas, & adverſus veritatem de ipſa veritate conſtructas: Philoſophorum ſententias, & dogmata, ex divinis litteris primitus accepta, noviſque cogitationum aſſumentis corrupta, qui vel manu levi ſancta evolverit volumina & prophanos libros primo inſpexerit, intuitu facilè habebit invenire. Prometheum ſufflantem arundinem ſolis rotæ adhibitam vide, quo immitteret vitalis animam ſpiritus in illam terram ab ipſomet undis fluvialibus mixtam, quam

—*Finxit in effigiem moderantum cuncta Deorum.*

lege Deum de limo terræ formaſſe hominem, in cujus faciem vitæ ſpiraculum inſpiravit. Noacum & uxorem ejus à diluvii aquis ope arcæ vindica-

tos

tos vide; ride Deucalionem & Pyrrham parva vectos rate Parnaſſo illi monti adhærentes. Nonne Helias curru igneo, equis etjam igneis, in cœlum raptus, fabulæ Phaëthontis & Heliadum, ignaris Poetarum mentibus, umbra fuit: teſtatur id *Beda quæſt.28.in lib. Reg.* addens ex Heliæ & ſolis nomine vicinitate (quod in ſecundo caſu ambiguum)[ἡλίυ] quæ de Helia verè audiverant in Helium, id eſt, ſolem, fabuloſè traduxiſſe. Priſcus autem Poetarum Scythiſmus è quo orphica Theologia emanavit, fœdâ, craſſaque mentis caligine inquinavit veritatem, & ita larvâ eam tegit Poeticâ, ut, niſi quis Lynceus, vix poſsit aliquid in illo veritatis agnoſcere. Inter Orphicæ poeſeos myſteria hoc unum erat inſigne Diomedem hominibus præcepiſſe, Caſtori, & Polluci, quibus ipſe copioſè ſuas affuderat flammas, equos domandos traderent. Quidam tamen ita nuda verba poſthabitis myſterijs ſuperſtitioſè carpſêre, ut Caſtorem, & Pollucem crediderint apud Græcos, homines fuiſſe, & in Deorum numerum relatos. Vnde Caſtorem gaudere equis. Horatius dixit lib. 2. Satyr. 1.

Caſtor gaudet equis ——

& ex ſententia Virgilii (lib.3.Georg.) alii Pollucem itidem:

Talis Amiclai domitus Pollucis habenis
Cyllarus. --

Quid nugacius! Equis, inquam, albis gaudere autumabant; & ideo vehi eiſdem. *At gemini* (ait Ovidius li. 8. Metamorp.)

nondum cœleſtia ſydera fratres
Ambo conſpicui, nive candidioribus ambo
Vectabantur equi. ——

Quid ſtultius, quàm Iovi illi ſuo inaniter obtemperare antiquos? Quaſi equi hoſtiam, non purum animum, atque intra carceres Recti coërcitum, ſanctus Spiritus, qui divino mentes inflammat igne, ſibi offerendam poſtulet? O pectora cœca! quæ prætextu religionis fruſtrà SAPIENTIAE radios adumbrare conamini. Proclus, qui in Parmenidem Platonis ſcripſit commentaria, docet per Triadem ad ipſum unum aſcendi, & rurſus ab eodem deſcendi. In omnibus etjam poſterioribus ipſo uno, tres poteſtates inveniri his verbis: τὸ τελεσιουργὸν τῶν μεθ' ἄυτω τὸ συνεκτικὸν τῶν μέσων, τὸ ἐκφαντικὸν τῶν περὶ ἀυτοῦ. Quam Triadem longè veriùs & apertiùs, quàm Proclus vel ipſe Plato, in Dei nomine apud Cimmerios Trilittero [*Got*] explicat: *Becanus in ſuis Antverpienſibus originibus lib.* 8. Platonici, & Stoici inventum ſolummodò Deum, non ut invenerant diſputaverunt, ſed æqualitatem natura ejus, & de ſede diſceptarunt. Alii incorporalem aſſeverabant, alii corporalem, (verba ſunt *Tertulliani in Apologetico cap.* 47. Qui hiſce illi finem imponit. *Vnde hæc, oro vos, Philoſophis,*

aut Poëtis tam conſimilia? non niſi de noſtris Sacramentis. Sententiæ etjam veterum authorum ad informandos mores ex ſacris litteris hauſtæ, rituſque & cærimoniæ. Confirmat Phocylidis monitorium, ſi modo Phocylidis eſt: Nec enim teneo, nec dicta refello ejus, qui ad Euſebium nuper revocavit in dubium. Nam ut ſit, deſcendet iterum Plato finem ponens beatitudinis ita, ut dicat ὁμοίωσιν θεῷ κατὰ τὸ δυνατὸν, *aſſimilationem Deo quoad ejus fieri poteſt.* Sanè non diſcedens à decreto legis, ſi quidem magnæ naturæ, & literæ ab animi perturbationibus, neſcio quo modo feruntur ad ſcopum veritatis, ait Pythagoræus Phylo. Moyſis res geſtas deſcribens, utpote qui inextinguibili illa ſemper doctrinæ ſiti affectus, divinis hauſiſſet eloquiis hoc præceptum legis ſanctæ. *Poſt Dominum veſtrum ambulate, & mandata mea ſervate.* Deuter. c. 26. n. 17. ambulatio enim illa, eſt conſectatio, quæ nos aſsimilat Deo. Hinc Clemens Alexandrinus appellat Græcos Philoſophos. *Hebraica veritatis fures.* Et Euſebius dixerat *lib.* XI. *de præparat. Evangelica, cap.* 10. Platonicos omnes, atque ante eos ipſum Platonem ab Hebræis ea omnia habuiſſe, quibus excelluerant: Nam etſi minus intellexerint rectè, verbis tamen ſuis conſtat ſatis ab Hebræis cuncta accepiſſe. Subdit & Amelium (illum qui Porphyrii ſcholis præfuit) admiratum vehementer prooemium illud, à quo Ioannes Evange-
liſta

liſta Theologiæ myſteria exorſus erat. Verùm eſt non Ioannem quidem nominaſſe; ſed *Barbari* nomine eum inſignire, quòd eſſet Iudæus, & extraneus; non Græcus. Vide Roam. *lib.* 5. *ſingularium cap.* 6. *cum ſeqq.* Nam omnia ſigillatim recenſere labor eſſet actus in orbem & irritus. unum verò, pro cunctis, exemplum adduxiſſe ſufficiat, quò verba Deuteronomii illuſtrem, & morem Romanum uſque adhuc quod ſciam obrutum ſitu conſpiciendum omnibus eruam in lucem. Viro, qui poſteritatem fratris excitare recuſabat, defuncti uxor coram judicibus ſolvebat calceum, etjam invito; & in ejus faciem conſpuebat, eam inurens ei notam, ut ipſius domus *deſcalceati domus* vocaretur: textus eſt in cap. n. 25. Deuteronomii, & Ioſephus ſcribit *lib.* 4. *antiq. Judaicarum cap. ult.* Hæc excalceatio politica erat pœnalis & ab illa diverſa, quæ in firmamentum & ſolemnitatem contractus adhiberi ſolita (cujus mentio eſt in *Ruth* cap. 4. num. 7.) & ad id reſpexiſſe putant nonnulli Regium Vatem Pſal. 107. num. 11. *In Idumæam extendam calceamentum meum*, quaſi diceret; faciam Idumæam mei juris. vel ex eo, quod iſta ex more, illa ex legis præcepto: Iſta inter cognatos, illa tantùm inter defuncti fratres obſervata. Vide Serarium qui de his latè. ad d. cap. 4. *Ruth.* Cavendum à Ioſepho, qui li. 5. *antiquitat.* cap. xi. utramque excalceationem manifeſtè confundit his verbis:

bis: ἐκέλευσε τῇ γυναικὶ ὑπολῦσαι αὐτὸν [ἀγχιστέα] προσελθοῦσαν κατὰ τὸν νόμον, καὶ τύπτειν [lege πτύειν] εἰς τὸ πρόσωπον. id eſt, *juſſit mulierem accedere illum*[propinquum] *& ſecundùm legem calceum ei detrahere, & in faciem ipſius exſpuere*. Cyprianus lib. 2. *adverſus Iudæos* cap. 18. *Erat enim in lege.* inquit, *ut quiſquis nuptias recuſaret, calceamentum deponeret, calcearetur verò ille, qui ſponſus futurus eſſet.* Vnde Ethnici Hymenæum, qui nuptiarum apud eos Præſes, ſoccatum non temerè inducebant: quaſi bono omine auſpicantes vinculum matrimonii ab Hymenæo adſtrictum fore perpetuum. Catullus in Iuliæ & Manlii epithalamio

—— lætus huc
Huc veni niveo gerens
Luteum pede ſoccum.

quem imitatus Garſias noſter Eclog. 2. ſub perſonam Nemoroſi, ſic inquit:

Eſtava el Hymenéo alli pintado,
El dieſtro pié calzado en lazos de oro.

Quum autem matrimonium diſſolvebant, pedem exuebant calceo. obſervo ex *Virgilio lib. 4. Aeneidos*, ubi Dido, poſtquam remorari Æneam prece, nec precio valuit; & gravi dolore victa tandem decrevit mori,

Conſilium vultu tegit ac ſpem fronte ſerenat.

ut mœſtiſsimæ ſorori imponeret, Ne ſcilicet in cauſa foret, quo minus finiret vitam. Simulque

teſtatur ſe rationem excogitaſſe, qua Æneam recuperaret fugientem; vel ſanè illius ſe amore ſolveret. Inde diverſa mentitur remedia. philtra, quibus Æneæ affectum ſibi conciliaret,

Pubentes herbæ, nigri cum lacte veneni
Quæritur; & naſcentis equi de fronte revulſus,
Et matri præreptus amor.

Quò ſe ab illius liberaret nexibus, exigit à ſorore Pyram exſtruat, omneſque tandem amati exuvias, galeam, lectum, arma, lignorum ſuperimponat ſtrui, dum inquit ſibi conſtitutum Sacerdotis juſſu

—— *abolere nefandi*
Cuncta viri monumenta. ---

& jam quaſi vale dicens marito, & res ſibi habere ſuas exclamans,

Vnum exuta pedem vinclis in veſte recincta,
Teſtatur moritura Deos. ---

His pro coronide addo uxores Turcarum à marito divertere volentes calceum exuto pede, ſolitas invertere. Tali indicio divortii cauſam palàm facientes, quam præ pudore vetantur dicere, quaſi nolint vel minimum quidem pulverem ex ædibus, hærere pedibus diſcedentis, ita ut non modò calceamentorum pulverem excutere, ſed & ipſa calceamenta deponere habeant in uſu. Morem refert *Augerius Giſlenius Busbekius Ep.* 3. de *rebus Turcicis.*

Δῶμα,

Δῶμα· δῶ. in his ſpectare ſolitum. Extrema tegula ſtare. *Hypaethrium quid apud* IC. *Iabolenum? vela Cilicia. domata. in domatibus ſacrificabant. Hieremias explicatus. Virgilius intellectus.* Tegularia *Domus. endo. do.*

CAPVT XXVII.

SVnt qui aſſerant in Novo Teſtamento voces eſſe Græcas non merè Græcas, ſed effictas ab Apoſtolis, ex quarum numero ſit δῶμα quæ in *cap.* 10. *Act. n.* 9. τῇ δ᾽ ἐπαύριον ὁδοιπορούντων ἐκείνων καὶ τῇ πόλει ἐγγιζόντων ἀνέβη πέτρος ἐπὶ τὸ δῶμα προσεύξασθαι, περὶ ὥραν ἕκτην: *Poſtera autem die iter facientibus illis, & civitati appropinquantibus, aſcendit Petrus in ſuperiora, ut oraret circa horam ſextam.* Qui faciliùs ducunt ea, quæ ignorant, extra pomœrium Græcæ linguæ, tanquam monſtra amandare; quàm conſulere Doctiores, ut docti ipſi evadant; cùm ſatiùs eſſet in eam partem peccare, quod timidè nimis, modò religioſè, vel prophanos authores tractent, quàm, ut audaculi vel temerarii audiant.

Eſt autem δῶμα *tectum* Matth. ca. 10. num. 27. & *quod in aure auditis, prædicate ſuper tecta,* Græcè. καὶ ὃ εἰς τὸ οὖς ἀκούετε, κηρύξατε ἐπὶ τῶν δωμάτων. Di-

vus etjam Lucas cap. 12. num. 13. ἐπὶ τῶν δωμάτων *in tectis*, & cap. 17. num. 31. eodem utitur nomine, ubi præcepit D. N. neminem eorum, qui in tecto, deſcendere debere, ad tollenda vaſa, quæ in ædibus habet. & idem Matth. cap. 24. num. 18. Tectum autem erat ſuperior pars ædium, & ſine faſtigio plana. Claré Divus Hieronymus in Epitaphio Fabiolæ: *non porticus*, inquit, *non imminentia deſuper tecta capere poterant proſpectantes.* Sic explicat Divus Ambroſius lib. 8. comment. ad d. cap. 17. Lucæ his verbis: *Si quis etjam in tecto eſt poſitus, hoc eſt, ſuperiora jam domus ſuæ eminentiumq; virtutum culmen aſcendit.* Quæ vulgati eſt verſio in Act. d. cap. 10. & explanatio à Tertull. ſcripta in libro de Iejuniis adverſ. Phyſicos cap. 10. *Faciliùs*, verba ſunt, *invenias Petrum hora ſexta, capiendi cibi cauſſa, priùs in ſuperiora ad orandum aſcendiſſe.* Ex his ſpectare ſolitum; quia apta, utpote plana inſiſti: Tacitus de Agrippinæ adventu Brunduſium, in principio, lib. 3. Annalium. *Atque ubi primum ex alto viſa claſſis; complentur, non modò portas, & proxima maris: ſed mœnia, ac tecta, quaque longiſſimè proſpectari poterat mœrentium turba ac rogitantium, inter ſe ſilentióne, an voce aliqua ingredientem exciperent.* Plinius in Panegyrico Trajano dicto, ubi de ejus ingreſſu in urbem. *Fœminas etjam tunc fœcunditatis ſuæ maxima volup-*

tas

tas ſubiit; cùm cernerent cui Principi cives, cui Imperatori milites peperiſſent. Videres refecta tecta, ac laborantia, ac ne eum quidem vacantem locum, qui non niſi ſuſpenſum, & inſtabile veſtigium caperet. Quem locum intelligo *mœniana ſubgrundiaria*. Erant namque immiſſa, & impendentia, nulliſque trabibus excepta; quo ſtillicidia à parietibus arcerentur: ideoque veſtigium ſuſpendebant, de quibus Iabolenus in L. *malum*. 142. §. *inter projectum*. π. de verb. ſignif. *Inter projectum* (inquit ex lectione Anton. Nebriſſenſis in Quinquagena cap. 27.) *& immiſſum hoc intereſſe Labeo ait, quòd projectum eſſet in quo, ita proveheretur, ut nuſquam requieſceret; qualia mœniana ſubgrundiaria eſſent.* Hinc effluxit Latinorum proverbium. *In extrema tegula ſtare.* de quo Seneca *Epiſt*. 12. pro in lapſus vicinia eſſe. In iis namque tectis tegulæ etjam ad tempus. Colligo ex ejuſdem Iuriſconſulti verbis, qui in d. L. diſtinguit inter plumbum, quod perpetui uſus cauſâ in ædificio eſt, & quod ad preſens. verba ſunt. *Plumbum, quod tegulis poneretur, ædificii eſſe ait Labeo: ſed id, quod hypaethri tegendi cauſa eſſet, contrà eſſe.* Ne ſcilicet ædificia pluvia laborarent, tegulis plumbo conjunctis muniebantur: mœniana verò aliquando plumbeis laminis. De montium accolis Vitruvius l. 2. c. 1. *Montium*, ait, *accolæ cruſtis marmoreis tecta contegunt, alii plumbi laminis.*

& ideo ad tempus; quippe quæ facilè demi & imponi poterant, & tegulæ non item. Vela autem in perpetuum conjecta obſervo, quo durarent ævis alta tecta. Vlpianus in L. *Prætor ait.* §. *cum quidam,* 6. π. Ne quid in loco publico. *Cùm quidam,* inquit, *velum in Mæniano immiſſum haberet.* Hæc vela *cilicia* erant, ut hyeme pluviam arcerent, æſtate verò, ut Solis tactui valentiori reſiſterent. Idem Vlpian. in L. *fundi nihil.* 17. §. *reticuli.* 4. π. de *actionib. emti. Reticuli,* inquit, *circa columnas: plutei circa parietes: item* CILICIA VELA *ædium non ſunt.* Quibus tabernaculum tectum fuiſſe docet nos Divus Hieronymus in Prologo Galeato ex Flavio Ioſepho lib. 3. Antiq. Iudaic. cap. 5. in fine. *unde,* inquit, *tota illa tabernaculi pulchritudo, & per ſingulas ſpecies Eccleſiæ præſentis, futuræ diſtinctio pellibus tegitur, & ciliciis, ardoremq́; ſolis & injuriam imbrium ea, quæ viliora ſunt prohibent.* Et Ariſteas is, qui Ptolemæi Philadelphi mandato ſeptuaginta duos Sacrorum Bibliorum interpretes, in Alexandriam perduxit, in libello illo de 72. ſcrip. Sacræ. Hiſtor. ad Philocrat. fratrem teſtatur ſe vidiſſe velum, quo templum Hieroſolymis in circuitu claudebatur, cooperiebaturque: Ne fortè quod intus, & foris auro collucebat, vel ab avibus, aut ab noxa aliqua contaminaretur, læderetúrve, verba Ariſteæ ſunt: *Erat & extrinſecus velum (quo templum in circuitu clauditur)*

ditur) appenſum, ſimili portarum magnificentia. Quod quidem viſu jucundiſſimum ſpectaculum præbebat: tum maximè cùm mota per pavimentum aura velum ſubintrans illud ad ſummum uſque criſpantibus ſinibus in undarum morem motat. Ex quibus elicies templum, velut ſindone, tunica ſeu papilione tectum fuiſſe, ad tabernaculi inſtar. De iis Ciliciis velis extat illuſtris locus apud Sidonium Apoll. lib. 2. epiſt. 9. *Vicina fonti, aut fluvio raptim ſcrobs fodiebatur, in quam fortè cùm cumulus lapidum ambuſtus demitteretur, antro in hemiſphærii formam corylis flexilibus intexto, foſſa inardeſcens operiebatur: ſic tamen ut ſuperjectis* CILICIVM VELIS *patentia intervalla virgarum, lumine excluſo tenebrarentur,* ita dicta: quòd in Cilicia primus eorum uſus. commune id. *Hypaethrũ* autem locus eſt ſub dio expoſitus, idem ac tectum, & mœnianum. (quod ſe ignoraſſe, ingenuè fatetur Accurſius) Quare quod Vlpianus ipſe reſpondit de mœnianis in d. L. *Prætor ait*; ſcripſit de Hypaethris in L. *quæſitum.* 12. §. *de velis.* 20. π. de inſtructo vel inſtrum. leg. *De velis quæ in hypaethris extenduntur: item de iis, quæ ſunt circa columnas, Celſus ſcribit, magis ſuppellectili adnumeranda, & ita Sabinum, & Caßium putare.* vides ſuppellectili vela Iureconſultum adſcribere: ſimilem ſibi in L. *cætera.* 41. §. *ſed ſi cancelli.* 10. de legat. 1. De tectis ſeu domatibus, inquam, Divus Hieronymus

mus in Epiſt. 135. ad Suinam & Fretelam: *Doma in Orientalibus Provinciis dicitur ipſum, quod apud nos tectum: in Aegypto & in Palæſtina, ubi ſcripti ſunt divini libri, vel interpretati, non habent in tectis culmina; ſed domata, quæ Romæ ſolaria vel mœniana vocantur.* & Zeno non ſemel in conſtitutionibus περὶ καινοτομῶν, ubi ait ille, Μήδε ἐπιχειρεῖν ἐκ μήδε ἑτέρου μέρους τὰ λάεια ἤτοι ἐξώστας κατασκευάζειν. Formiam tectorum ſui ſæculi deſcribit Euſtathius ad *lib.* 10. *Odyſſeæ* in extremo commentario. πίπτει δὲ καταντικρὺ τέγεος ὁ Ελπήνορ ἐν ὑπαίθρῳ ἄνω κείμενος διὰ τὸ τὰ δώματα μὴ κεραμωτὰ, ἀλλ' ὁποῖα καὶ νῦν ὡς εἰκὸς μυριαχοῦ ὧν ταῖς δοκοῖς γῆ ἐπαμᾶται: ὡς ἐντεῦθεν τὴν στέγην χρήσιμον εἶναι καὶ πρὸς τὸ ἐγκοιμᾶσθαι, id eſt: *Elpenor cadit è tecto, cùm ſub dio jaceret in ſumma domo, quia tecta non fiebant è tegulis, ſed uti videtur erant qualia nunc quoque locis infinitis videntur: aggeſtam ſuper trabes terram habentia; ut in ejuſmodi tectis cubare etjam aliquis poteſt.* Apud Danielem cap. 6. δῶμα redditur *cœnaculum.* cœnaculum autem (ut diximus ad Martialem lib. 1. Epigr. 109. num. 1.) ſcalis altis ſcandebatur. Quæ vox ſæpe in ſacris literis invenitur; Latinè *doma, tis.* ut *Prouerb.* cap. 21. num. 9. *Sedeat in angulo domatis.* & cap. 25. num. 24. *Melius eſt ſedere in angulo domatis, quàm cum muliere litigioſa in domo communi.* & apud Hieremiam duplici in loco, & *venient* (inquit ca. 32. num. 29. *Chaldæi prœliantes adverſum urbem*

hanc,

hanc, & ſuccendent eam igni, & comburent eam, & domos, in quarum domatibus ſacrificabant Baal. Septuaginta: καὶ κατακαύσουσι τὰς οἰκίας, ἐν αἷς ἐθυμίασαν ἐν αὐταῖς ἐπὶ τῶν δωμάτων αὐτῶν τῇ βάαλ. Apud Romanos mos veneficis erat ſacra ſua peragere in ædium domatibus. Hujus ſuperſtitionis aſsignat cauſam Apulejus lib. 3. poſt medium in *Aſino aureo*. verba ſunt, & quæ ad rem mirificè conducunt. *Sic noctis initio priuſquam cœna te reciperes Pamphile mea, jam vacors animi, tectum ſcandulare conſcendit: quod altrinſecus ædium patore perflabili nudatum ad omnes Orientales cœteroſq; aſpectus pervium, maximè his artibus ſuis commodatum ſecretò colit; priuſquam apparatu ſolito inſtruxit feralem officinam omne genus aromatis & laminis ignorabiliter litteratis, & infœlicium navium durantibus clavis defletorum, ſepultorum etjam cadaverum expoſitis multis admodum membris; Hîc nares & digiti; illic carnoſi clavi pendentium: alibi trucidatorum ſervatus cruor; & extorta dentibus ferarum trunca calvaria.* unde veneficæ *tegulariæ* appellatæ. Gloſſarium, quod nomine D. Iſidori circunfertur. *Tugellaria. malefica. eo quod ſupra tegulas ſacrificent.* lege præeunte tertia ab hinc linea. *tegularia. venefica. eo quòd ſupra tegulas ſacrificet.* Expiationes enim ſolebant ſub dio peragere veteres, ut affirmat Plutarch. in quæſtion. Romanis, ubi ait ea re eos, qui pro mortuis falſo rumore habiti fuiſ-

 ſent,

ſent, (quos exequiis celebratis vocabant ὑστεροπότμους) non per fores admitti ſolitos; ſed conſcenſo tecto deorſum ex aëre in atrium ſub dio poſitum demitti, Plutarchi verba ſunt: οὐδὲν οὖν θαυμαστὸν εἰ καὶ Ῥωμαῖοι τότε δοκοῦσιν ἅπαξ τετάφθαι καὶ γεγονέναι τῆς τῶν φθιτῶν μερίδος, οὐκ ᾤοντο δεῖν παριέναι τὴν αὔλειον, ᾗ θύοντες ἐξίασι, καὶ θύσαντες εἰσίασιν, ἀλλὰ ἄνωθεν ἐκέλευον εἰς τὰ ὕπαιθρα καταβαίνειν ἐκ τοῦ περιέχοντος καὶ γὰρ τοὺς καθαρμοὺς ἐπιεικῶς πάντας ἐν ὑπαίθρῳ τελοῦσι. Horum non ignarus Virgil. *lib.*4. *Aeneid.* enarrans ſacrificia illa reſolutoria.

At regina Pyra penetrali ſede ſub auras,
Erecta ingenti.—

id eſt, loco perflabili, in domate. Nonne Dido alloquitur Annam verſu 494. his verbis?

Tu ſecreta Pyra tecto interiore ſub auras.

id eſt, in domus interioris tecto in Aedibus namque regiis, uti hodie, tecta interiora erant. Ipſemet Poëta lib. 1. Æneid.

At domus interior regali ſplendida luxu
Inſtruitur.

Interiora enim dicuntur ſubſequentia, & quæ à primo ingreſſu remotiora ſunt. unde noſter Interpres tecta vertit nunc *domata*, ut in d. cap. 32. nunc *excelſa*, ut in *cap.* 19. *Hieremiæ n.* 5. & 13.

De domatibus, & altaribus ad ſacrificia in eis conſtructis locus illuſtris 4. *Reg.* cap. 23. num. 12. *Altaria quoque, quæ erant ſuper tecta cænaculi*

Achaz.

Achaz. LXXX. καὶ τὰ θυσιαστήρια τὰ ἐπὶ τοῦ δώματος τοῦ ὑπερῴου Ἄχαζ.

Hæc ergo vox *Doma* antiquior eſt quàm Bibliorum interpres, & ipſi Apoſtoli. Antiqui enim Græci δῶμα, & δώματα dicebant. Theocritus in Pharmaceutria Illid. β.

Ἴυγξ ἕλκε τὺ τῆνον ἐμὸν ποτὶ δῶμα τὸν ἄνδρα.

Apud Homerum paſsim, & per abſciſsionem δῶ. Homerus Odyſ. 15. ver. 423. & 431. ὑψερεφὲς δῶ, id eſt, *alta domus*, & Iliad. 1. verſu 426. χαλκοβατὲς δῶ. id eſt, *area domus:* Heſiodus in θεογονία prope finem

Ναίει χρύσεα δῶ δεινὸς θεός.

id eſt, *incolit aureas ædes magnus Deus.* ubi Scholiaſtes χρύσεα δῶ, δώματα κατ' ἀποκοπήν. Sic Latini Priſci. *En do do*, id eſt, *in domum.* Nam *en do* accipiebant pro *in*, & *do*, pro *doma*, ut *Endoperator*, pro *Imperator. Endogredior*, pro *ingredior. Endoterciſus*, pro, *interciſus*, *endoitium*, pro, *initium.* Auſonius in Monoſyllabis de Ennio,

Et cujus de amore, quod adſtruit, endo ſuam do.

Cujus loci meminit Soſipater Chariſius *lib.* 4 *inſtit. Grammat.* in ἀποκοπῇ. Domus verò, ſive Græcè δόμος, aut δῶμα, non ſignificat propriè quod Hiſpanè dicimus CASA; nam id propriè *ædes* dicitur; ſed partem ſuperiorem ædium, vel ſolarium, vel tectum, & à parte totum pro ædibus ſolet poni. Plautus in *Caſina* diſertè id explicuit cùm dixit: *inſectatur omnes domi per ædes*: ſic Hiſpanè, *en*

las caſas de la morada, id eſt, *in ædibus domi*. & quum Latinè dicitur: *Non eſt domi*, deeſt *in ædibus*. unde Claudianus tecta vocavit *altas ædes* in Honorii ingreſſu.

— quantum licuit conſurgere tectis
una replet turbæ facies: undare videres
Ima viris, altas effugere matribus ædes.

domata enim in iis ſpectaculis fœminis parabantur. Idem in alio Stiliconis ingreſſu,

Nónne vides & plebe vias & tecta latére
Matribus?

Quid allegoria? quid typus? Sina mons in Arabia, qui conjunctus eſt ei, quæ eſt nunc Hieruſalem. *D. Paulus explicatus*. σύςοιχα. *Agar, & Sina idem nominis apud Syros, & Arabes. Verba D. Ambroſii illuſtrata.*

CAPVT XXVIII.

RHetorica eſt ars dicendi, ſive exornandæ orationis. Qui definierint aliter, ignorare videntur Quid ſit propriè *Rhetorica*. Nec alias partes proprias dixeris Rhetorices, quàm tropos, & figuras. Porrò tropos ſacræ Scripturæ, ſunt qui diſtinguant à tropis, quos in Virgilio, & Cicerone invenimus: & certè falluntur longè, qui in ſacra Scriptura, ſive Græca, ſive Latina, ſeu quavis alia, plus

plus quatuor tropos ſe putant agnoſcere. Sunt autem *Metonymia, Metaphora, Ironia, Synecdoche.* de quibus plena manu, qui Rhetorica ſcripſêre. Sed ſi *Metaphora* dura eſt, dicetur *Catacreſis*, ſi continuatur, *Allegoria.* Eſt igitur *Allegoria* continuata *Metaphora.* Et metaphora, ſive tranſlatio ex ſimilitudine oritur, non ex re vera. Ecce protinus reclamant, qui in Orcheſta ſedent. Quomodo Divus Paulus dicit *cap.4. ad Galatas num.24.* duos filios Abrahę eſſe per allegoriam duo teſtamenta? minimè id dicit Paulus, nam quæ ſunt dicta & facta per typum, ſive figuram, non poſſunt dici per allegoriam. Quæ ut radicitus intelligantur, operæ pretium duco animadvertere; figuras & tropos in Scriptura ſacra tot eſſe numero, quot in litteris Prophanis, uno excepto typo, qui nuſquam locorum, niſi in ſacra Scriptura reperitur. Nam typus, ſive figura, aut delineatio naſcitur ex hiſtoria, quæ non ſolùm vera hiſtoria ſit; ſed hiſtoriam futuram præcipuè ex inſtituto repræſentet. Moyſes exaltavit ſerpentem in deſerto, in quem qui ſpectabant ſanitatem conſequebantur. Numer. ca. 21. num. 9. ſed illud factum, quod hiſtoriam futuram repræſentat, *Typus* erat Crucis, & noſtræ ſalutis in CHRISTO IESV. Hiſce dictis nullus locus eſt allegoriæ. At verò quivis poterit his addere allegoriam, exemplo erit. Ionas Propheta verè fugit à facie Domini in Tharſis, & fuit in ventre ceti. Io-

næ ca. 1. n. 3. & ca. 2. à n. 1. Hæc eſt hiſtoria: ſed Ionas in ipſa hiſtoria refert CHRISTVM, qui deſcendit à ſinu Patris in hoc mare, & fuit ſepultus, poſteaq́ue reſurrexit. Hucuſque Hiſtoria, & Typus. Sequitur Allegoria: cùm dicimus Ionam repræſentare peccatorem, qui negligit præcepta Dei, & fugit; ſeparatq́ue ſe à Deo, ſed hunc ſua peccata demergunt in profundum, abſorbeturq́ue à beſtiis. Si tamen in ventre ceti ſe ad Deum convertat per orationem, & pœnitentiam: non ſolùm à beſtia liberatur; ſed alios quoque peccatores ad pœnitentiam perducet. Nunc has tres partes, *Hiſtoriam*, Typum, & Allegoriam. in loco Pauli oſtendamus. Hiſtoria eſt: Abraham habuiſſe duos filios, alterum ex ſerva, alterum ex libera. Typus ſequitur, hæc ſunt duo teſtamenta, unum in monte Sina, alterum in monte Tabor, quod eſt Evangelium. In tertia parte ſequitur Allegoria. Hieruſalem terreſtris, id eſt, Synagoga ſerva, genuit Iudæos, qui in cærimoniis manent. Hieruſalem cœleſtis, mater fidelium libera eſt, hæc genuit fideles, qui legem gratiæ cuſtodiunt. Totius loci formam ſic deſcriptam vide.

HISTORIA. ET TYPVS. ALLEGORIA.

SERVITVS	ABRAHAM	LIBERTAS
I		II
Agar Serva	Vxores duæ	Sara Libera
Iſmael Ex carne ſervus	Filii duo	Iſaac Ex promiſsione liber
Lex in Sina Cæremoniæ.	Teſtamenta duo	Evangelium Regnum cœlorum
Hieruſalē terrena Synagoga ſerva, quæ ſervit cum filiis ſuis	Civitates duæ	Hieruſalē cœleſtis Mater omnium fidelium libera.
Iudæi qui in cæremoniis manent.	Filii duo	Fideles qui ſunt filii gratiæ.

Vides ordines duos, quos Græci συϛοιχίας vocant, quaſi dicas ſeries, vel ordines; hos intellige à ſummo ad infimum. In ordine primo eſt mons Sina, cui ſubordinatur Hieruſalem terrena, quæ eſt Synagoga, & hoc ſignificat Paulus illis verbis: *Sina enim mons eſt in Arabia, qui conjunctus eſt ei, quæ nunc eſt Hieruſalem.* nam illud: *conjunctus eſt.* Grecè συϛοιχεῖ, id eſt, in eadem ſerie eſt & ordine, quo temporalis Hieruſalem: & quia quadrat Sina cum Hieruſalem, conjungitur, eâdem. verba Græca ſunt συϛοιχεῖ δὲ τῇ νῦν Ἱερουσαλήμ. Non enim dicere voluit Sina montem eſſe conjunctum urbi Hieruſalem, quæ longiſsimè abeſt à Sina monte: Totum autem locum Pauli ſic paraphraſticè expono. Abraham duos filios habuit, unum ex ancilla, & unum ex libera: verùm is, qui ex ancilla natus eſt, ſecundum carnem natus eſt. Qui verò ex libera per repromiſsionem; & hæc ſunt ἀλληγορούμενα, id eſt, quæ patiuntur allegoriam, *quæ ſunt per allegoriam dicta.* quæ ſunt allegorizata. Quod ut demonſtret, relata hiſtoria, confert ſe ad typum, & allegoriam explicat, dicens: Hæc enim duo ſunt teſtamenta. unum quidem fluxit à monte Sina in ſervitutem generans & hęc eſt Agar: nam illa vox *Agar* conſonat monti Sina in Arabia. Syri enim & Arabes, *Sina* montem nominabant *Agar*, quod innuit etjam textus Græcus, quem omnes Græci explanatores agnoſcunt, & è Latinis Divus Ambroſius

broſius ibi. *cauſſam Agar ſignificare dicit Hieruſalem terrenam.* Græca verba ſunt: τὸ γὰρ Ἄγαρ ὄρος ἐστὶν ἐν τῇ ἀραβίᾳ. Præterea mons Sina eſt in eadem ſerie in qua ponitur Hieruſalem terrena, quæ nunc eſt: ſervit autem cum filiis ſuis, &c. Itaque nomen Allegoriæ hîc propriè, ut apud Rhetores, ſumitur apud Paulum ſic: Quid aliud dicemus eſſe Synagogam terrenam Hieruſalem ſervam cum filiis ſuis ſervientibus cæremoniis? quàm Agar ſervam in monte Sina cum filio ſuo Iſmaële? Quid porrò intelligas per Saram liberam cum filio libero, quàm cœleſtem illam liberam Hieruſalem cum filiis ſuis fidelibus? Hæc poſtrema ſunt per allegoriam dicta: Nam duo teſtamenta, quæ per filios Abrahę ſignificantur, non per allegoriam poſſunt dici, cum re vera ſint typi. Quæ omnia pulchrè, mea, hac interpretatione præmiſſa, declarat, multa paucis comprehendes, ſanctus Ambroſius ad illa verba. *Quæ ſunt per allegoriam dicta*, dum inquit, *in typum enim* CHRISTI *natus eſt Iſaac; Ideo hæc per allegoriam aſſerit dicta; ut aliud ex alio ſignificent perſonæ Iſmael & Iſaac. Iſmael enim Judæorum ſignificat nativitatem, vel eorũ qui ſervi peccati ſunt. Iſaac verò Chriſtianorum, qui in libertate naſcuntur. Liber enim fit, qui accipit remiſſionem peccatorum.* Hunc verè typum, quo autores Prophani minimè utuntur, doctiſsimus M. Ludovicus Legionenſis ad ca. 1. Canticorum, in 3. explanatione, al-

legoriam, appellat, & ait tale genus allegoriæ proprium, & familiare eſſe Sanctarum Litterarum, reliquis, verò ſcriptoribus inuſitatum & incognitum. Docet Divus Auguſtinus lib. de *utilitate credendi* cap. 3 quem ſequitur Sixtus Senenſis lib. 3. *Bibliotheca Sancta* cap. 3. nam triplex eſt allegorica explanatio in ſcriptura: prima, quam typum nominavi, figuram rerum præteritarum ad præſentiam accommodat, & retinet nomen allegoriæ apud Theologos. Secunda ad mores ſpectat, & dicitur *Tropologica*. Tertia ad incommutabilem æternitatem, & *Anagogica* dicitur.

Tempora verborum Græcorum plura quàm Latinorum. Quædam in Latinum transferri non poſſe. Explicatur locus Divi Joannis. & miſit eum Annas ligatum ad Caïpham.

CAPVT XXIX.

TEmpora verborum Græcorum plura ſunt quàm apud Latinos. Quare occulatiùs rimanti nō mirum, ſi proprium idioma linguæ Grȩcæ obſcurum videat: Latinè verſum. Ante verò quàm id aggrediar explicandum, libet ſugillare Græcæ Grammaticæ vulgares magiſtros, qui, prȩterquam quod peſsimè modos in verbis invenêre, ut optime animadvertit jam olim Franciſcus Sanchez

chez Brocenſis meus; tempora ipſa verborũ pejus adhuc nominavêre; ut ab aliis bene nominata, malè intellexerunt. Nam vox παρακείμενος præteritum ſignificat; ſed adjacens præſenti præſens. Itaque ſi velis hanc Hiſpanam orationem, *Yo he eſcrito*, Gręcam facere, non aptè recurres ad παρακείμενον, dicens: ἐγὼ γέγραφα, ſed ἐγὼ ἔγραψα. Ideo quidam transferunt Latinè Paracimenon, per Latinũ præſens; ut in illo Ioan. c. 11. n. 27. ἐγὼ πεπίστευκα ὅτι σὺ εἶ ὁ Χριστὸς. Eraſmus tranſtulit, *ego credo quod tu ſis Chriſtus*. Deinde verò non bene dixerunt ἔγραψα eſſe Aoriſton, id eſt, infinitum, vel indefinitũ. Nam verum præteritum eſt, & exactiſsimum tempus ſignificat. Ariſtoteles aptiſsimè vocat παρεληλυθότα, id eſt, *exactum*, quale eſt Hiſpanis [*yo uve hecho*] & Gallis, *Ie fey*, vel, *quando uve llegado, ya le uvieron offendido*. Gallicè, *quand j'arrivay ils l'aurient deſia offenſé*: appoſitiſsimè per paralelythoton explicantur Græcæ illæ Phraſes Pſal. 2. *Quare fremuerunt gentes, & populi meditati ſunt inania: Aſtiterunt Reges terræ; & populi convenerunt in unum*. Item ille Pſalm. 13. *Dixit inſipiens in corde ſuo*, & *Pſalm*. 109. *Dixit Dominus Domino meo*: Quæ omnia, etſi Latinè ſunt bene verſa; tamen intelligenda eſt illa perfectio temporis, quæ Latinè non poteſt explicari, etjamſi per pluſquam perfectum Latinum enuncies. ut *Dixerat Dominus Domino meo*: Nam ſic & ſenſus haberet aliquid

imperfectionis. Rurſus audi de tempore paulô antè præterito, Ioann. ca. 19. num. 22. ὅ γέγραφα, γέγραφα, id eſt, *quod ſcripſi, ſcripſi.* Quamvis hæ locutiones de tempore, quod modò præteriit, per Aoriſtum, quem vocant ſecundum, fiunt ſæpiùs, ut Ioannis ca. 11. n. 14. Λάζαρος ἀπέθανε, id eſt, *Lazarus mortuus eſt,* & inf. nu. 17. ὁ ΙΗΣΟΥΣ εὗρεν αὐτὸν, id eſt, IESVS *invenit eum.* & n. 32. ἔπεσεν αὐτοῦ εἰς τοὺς πόδας, id eſt, *cecidit ad pedes ejus.* Atque ita in illo Ioannis ca. 19. nu. 19. ἔγραψε δὲ καὶ τίτλον ὁ Πιλάτος. Hiſpanè: *uvo eſcrito Pilatos.* Latinè, *ſcripſit,* id eſt, *ſcripſerat jam & titulum Pilatus.* Non enim Pilatus ſcripſit titulum poſtquam Dominus fuit cruci affixus: ſed antequam affigeretur cruci. Locus eſt obſcurus apud eundem Evangeliſtam ca. 18. nu. 24. qui face hac accenſâ illuſtris redditur. *& miſit,* inquit, *eum Annas ligatum ad Caypham Pontificem.* Difficultas eſt. nam ante hæc verba præcedunt negationes Petri, & percuſsio in maxilla Domini: quaſi hæc facta ſint in domo Annæ, cùm nihil memorandum in domo Annæ inveniam CHRISTO contigiſſe. unde opinionem eorum minimè amplector, ne dicam rejicio, qui aliquas Petri negationes in domo Annæ commemorant. Sed re penitus animadverſa vim ordinem & veritatem narrationis ex Græco tempore dependere intelligo. Nam verbum ἀπέστειλεν, quod ibi ſcriptũ leges; Hiſpanè redderetur: *uvole embiado.* vel.

aviale

avíale enviado. Latinè, *miſit*, hoc eſt, *jam antè miſerat eum ligatum*. quaſi dicat: cum impacta fuit CHRISTO alapa vinctis manibus ſtabat Dominus: Nam cùm ab horto ductus eſt, primùm ad Annam (ſic teſtatur ipſemet Ioannes d. *cap.* 18. *nu.* 13.) Iuſsit enim Annas eum fortiter ligari, & ad Caipham duci, ubi hæc omnia contigerunt. Ergo nihil aliud eſt, ut intelligamus tunc factum ab Anna in paſsione Domini, præterquam quod Chriſtum vidiſſet, quem milites ad eum adduxerunt. Fortè quia Annas habitabat in via; vel honoris cauſſa, quo Annam proſequebantur, utpote ſocerum Caiphæ, vel ut oſtenderent ei quàm benè rem geſsiſſent. Hanc interpretationem elicies liquidò ex textu Græco, in quo abſque conjunctione ita legitur: ἀπέςειλεν αὐτὸν ὁ Ἄννας δεδεμένον πρὸς Καιάφαν τὸν ἀρχιερέα. id quod & Divus Cyrillus admonuit ad illa verba ſcribens: *Quaſi currentem equum narrandi progreſſum Evangeliſta revocat utiliter; & ad priora rurſum orationem reducit*, &c. In principio etjam ca. 13. ejuſdem Evangeliſtæ (libet quaſi per Satyram hoc caput abſolvere) ſic legitur: *Cùm dilexiſſet ſuos, qui erant in mundo: in finem dilexit eos*. Græcè. ἠγάπησεν. Hiſpanè. *avia amado. uvo amado*. Latine. *dilexit*, hoc eſt, *ſemper amavit*, vel, *amaverat*. ubi ingenioſè, & piè, de amore ultimo, & poſtremo alloquio, in quo magis vera Amoris flamma retegitur, & videtur. Sed mea expla-

natio fortè aptior litteræ; ut ſit ſenſus. Diligens ſuos, qui in mundo; in finem dilexerat eos. (latè oſtendam in capite ultimo. Sic etjam aliquid lucis accipient illa verba Matthæi cap. 28. nu. 2. *& ecce terræ motus factus eſt magnus. Angelus enim Domini deſcendit de cœlo, & accedens revolvit lapidem, & ſedebat ſuper eum.* Græcè eſt: ἀπεκύλισε, id eſt, Angelus enim Domini deſcendens de cœlo, veniens jam devolverat lapidem ab oſtio, & ſedebat, &c.

De articulis Græcorum. Non ſum Propheta. Deus erat verbum. *Terentii Eunuchus elucidatus. Item Paulus, Vlpianus, Theophilus, & Marcianus,* BONI, & *Mali qui? acceptione quidem veteri. ſed adhuc nova. Plauto & Virgilio lux.*

CAPVT XXX.

ARticuli Græcorum, quibus Latini prorſus carent, aliquando ita nominibus adhærent, ut rem peculiarem neceſſario demonſtrare videantur. Quos Latini veteres, qui exemplaria Græca verſabant diurnâ nocturnaque manu per *ille, illa, illud*, conabantur explicare. Alii verò ſatiùs ducebant purè loqui Latinè, nulla à Græcorum imitatione adhibita ope. Id quoniam multis

multis novum accidit. Poetarum exemplis primò; deinde ſacris teſtimoniis comprobabo. Plaut. in prologo Amphitr.

Juſta autem, inquit, *ab injuſtis petere inſipientia eſt.*
Quippe illi iniqui jus ignorant.

Græcè: οἱ ἀδικόντες, Hiſpanè: *los injuſtos.* Hoc non advertit Lambinus, & eſt ſæpe apud Plautum, apertiùs Virgil. lib. 10. Æneid. ver. 707.

Ac velut ille canum morſu de montibus altis
Actus aper, multos Veſulus quem Pinifer annos
Defendit.

ὥσπερ ὁ κάπρος. *como el juvali.* idem Æneid. 11. verſ. 809.

Ac velut ille priuſquam tela inimica ſequantur,
Continuò in montes ſeſe avius abdidit altos,
Occiſo paſtore lupus.

ὥσπερ ὁ λύκος. *como el lobo.*

Idem lib. 12. in princ. verſ. 4.

—— Pœnorum qualis in arvis
Saucius ille gravi venantum vulnere pectus.
Tum demum movet arma leo.

Hi ſunt ex Latinis, qui articulum expreſſere, Græcorum inſtar; illi verò, qui omiſerunt propè infiniti ſunt.

Adducam unum, pro omnibus, Terentium: ut meam opinionem muniam: & ſimul ejus verba obſcura illuſtrem, Ait in Eunuchi Prologo:

Si

Si quiſquam eſt, qui placere ſe ſtudeat bonis,
Quàm plurimis.

ubi per *plurimos*, malos intellige. Quod patebit animadvertenti ſubintelligendam ibi eſſe vocem *magis*, quæ familiaris bonæ Latinitatis authoribus locutio. Plauti in Rud. act. 4. —— *tacita bona eſt mulier ſemper, quàm loquens:* Cornel. Tacit. lib. 2. annal. *Pacem, quàm bellum probabant.* Iuſtinus lib. 6. *Merceturq́; ab his, ut differant bella, quàm gerant.* Et jam vergentis ætatis Authoribus uſitata phraſis. Arnob. lib. 1. *Aut non ſimillimum veri eſt. Fidem vicinis, & finitimis, quàm ſpatiorum ineſſe longinquitate verſantibus.* Tertull. de *Oratione* cap. 7. *Quia vult eam, quàm mortem peccatoris.* Sidonius Apollinaris lib. 4. Epiſt. 10. *Toleranter, quàm libenter accepi.* imitatione etjam Græcorum, qui τὸ μᾶλλον. frequenter ſubaudiunt. Homer. Iliad. 1. verſ. 127.

βούλομ' ἐγὼ λαὸν σόον ἔμμεναι ἢ ἀπολέσθαι.

id eſt: *volo ego populum ſalvum eſſe, quàm perire.* Polybius:

Αἰακίδαι πολέμῳ κεχαρηότες ἠέπερ δαιτί. id eſt:

Aeacidæ bello gaudebunt, quàm convivio.

& apud Iuriſconſultos eadem dicendi forma. Paulus in L. 2. §. *mutui.* π. de rebus cred. *Mutui datio conſiſtit in his rebus, quæ pondere, numero menſura exiſtunt, quoniam eorum datione poſſumus in creditum ire: quia in genere ſuo functionem recipiunt per ſolutionem,*

ſolutionem, quàm ſpecie, id eſt, ſolutionem in genere *potiùs*, quàm ſpecie. Vlp. in L. *ſi hominem.* in princ. π. depoſiti. *Quia cùm ſciret cui rei pareretur, intempeſtivè miſericordiam exercuit: cùm poſſet non ſuſcipere talem cauſſam, quàm decipere*, id eſt, *magis*, quã decipere: & aliis pluribus in locis apud Impp. in Codice. Quid? quod ipſi Iureconſulti Græci ſic tranſtulere? Theophilus vertens illud §. 1. Inſt. de Donation. *In ſumma; mortis cauſa donatio eſt, cùm magis ſe quis velit habere, quàm cui donat.* Græcè inquit; ὡς ἐν κεφαλαίῳ δὲ mortis cauſſa δωρεά ἐστιν ὁπότε ἑαυτὸν τίς βούλεται ἔχειν ἤπερ ἐκεῖνον ᾧ ἐδωρήσατο, id eſt, *velut in ſumma donatio cauſſa mortis eſt; cùm quis ſe vult habere, quàm eum cui donat.* imitatione Homeri adducti ab ipſomet Imperatore Iuſtiniano in d. §. 1. qui lib. 17. *Odyſſ.* verſu 81. inducit Telemachum donantem Pyræo

Αὐτὸν ἔχοντά σε βούλομ' ἐπαυρέμεν ἤ τινα τῶνδε. id eſt: *Te ipſum habentem volo frui, quàm aliquẽ horum.* Quod Marcianus totidem verbis ac Theophilus ſcripſerat in L. 1. π. de mortis cauſſa donationib. *Mortis*, inquit, *cauſa donatio eſt, cùm quis habere ſe vult, quàm eum cui donat.* Auctor verò Eclog. Βασιλικῶν *lib. 47. tit. 3. in princ.* & Harmenopulus *lib. 3. tit. 1. §. 4.* θέλει μᾶλλον ἔχειν dicunt. Divus etjam Paulus 1. ad Corinth. cap. 14. num. 19. *Sed in Eccleſia volo quinque verba ſenſu meo loqui, ut & alios inſtruam, quàm decem millia verborum in lin-*

gua. Quamvis ſciam non deeſſe alios, qui hoc dicendi genus ad antiquiſsimos quoſque Iudæos, ut eorum peculiare, referant.

Eſt igitur Terentii ſenſus. Qui enim maximopere optat bonis placere magis, quàm malis; qui ſunt plurimi: Nam boni pauci. Ita Eographius ad illa verba. *Bonis* (inquit) *quàm.plurimis. Quidam intelligunt quamplurimis bonis: Nos intelligamus extrinſecus* plurimos, *nihil aliud poſuiſſe niſi malos. Boni enim admodum pauci ſunt. Ita quod dixit in numero:* plurimis. *qualitatem potiùs declaravit:* animadvertendum tamen eſt Terentium ad Biantis Prienei dictum reſpexiſſe, & intelligendum imperitos eſſe: quos *malos* dixit ex interpretatione Auſonii in ludo ſeptem ſapientum, ubi ſcribit:

Bias Prieneus dixit, οἱ πλεῖςοι κακοὶ:
Quod eſt Latinum. PLVRES *hominũ ſunt* MALI
Sed imperitos intellige, quos dixit malos.

unde *Docti & Sapientes* appellabantur BONI. Iuvenal. *Satyr.* 13. *verſ.* 26. de ſeptem Græciæ ſapientibus.

Rari quippe boni: numero vix ſunt totidem, quot
Thebarum portæ, vel divitis oſtia Nili.

Ad rem, id Græci cum articulo τοῖς planiùs ſignificant. Eundem etjam articulum exaudit paſsim Latinæ linguæ obſervantiſsimus noſter Interpres apud Ioann. cap. 1. num 21. *Propheta es tu?* Græcè ὁ προφήτης εἶ σύ, id eſt, *ille Propheta es tu?* quaſi dicatur;

catur;

catur; Es ne tu ille Propheta, quem venturum ſperamus? Quare reſpondit. *Non ſum Propheta,* hoc eſt, non eſſe illum Prophetam, quem Moyſes eſſe venturum drædixerat: Ideoque Græcum articulum fuiſſe additum Chryſoſtomus, Cyrillus, & Theophilus obſervarunt, eadem Phraſis Virgil. *lib.* 1. *Aeneid.* verſ. 621.

Tunc ille Aeneas, quem Dardanio Anchiſe
Alma Venus Phrygii genuit Simoëntis ad undã?

Sic multis in locis, ut in princip. ejuſd. *cap.* 1. *Joan.* καὶ θέος ἦν ὁ λόγος, & *Deus erat verbum.* hoc eſt, ordine commutato; *& illud verbum erat Deus.* Nam dictio, quæ habet articulum, apud Græcos eſt, ut aiunt Dialectici, in oratione ſubjectum, ſeu prima pars. ut paulò inferiùs n. 14. *& verbum caro factum eſt.* Græcè καὶ ὁ λόγος σάρξ ἐγένετο. id eſt, & illud verbum factum eſt caro. unde refelles impios barbaros Arrianos qui hæc verba: *& Deus erat verbum.* dividunt; & legunt cum præcedentibus ita: *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat*: deinde conjungunt *verbum* cum ſequentibus ſic: *verbum hoc erat in principio apud Deum.* Hinc denique rationem reddes eiſdẽ Arrianis cur nomen Dei, θέος, in poſteriori membro illius orationis nõ habet articulum, videlicet quia λόγος eſt ſubjectum, & θέος attributum, ut dixi, & interpretantur. Divus Hilarius 7. de *Trinitate,* & Baſilius *Homilia* ad hæc verba.

Quis vos faſcinavit. an ſit faſcinus? Quid faſcinus Proëbra. Higa. *Mutinus hortorum cuſtos. Quare? D. Auguſtinus, & Aurelius Prudentius illuſtrati. Invidere. Faſcinare. Conturbare Jureconſultis.* Multa. *Præfiſcine.*

CAPVT XXXI.

MAgna fuit ſemper inter magni judicii viros de faſcino agitata controverſia, quam nec juſta volumina de hac re ſcripta potuerunt dirimere. Ego ex Hippocrate non eſſe propriè faſcinum affirmo. At contrà, id ex Divo Paulo negare aliqui inſanire eſſe aſſerunt. Locus Divi Pauli omnibus in promtu eſt, ex Epiſtola ad *Galatas* cap. 3. nu. 1. *O inſenſati Galatæ, quis vos faſcinavit, non obedire veritati.* Sed illum locum nihil ad faſcinum pertinere reſpondeo, tranſlatè enim verbum illud à Paulo poſitum; quaſi dicat: Quis vos dementavit? quis vos fecit à veritate aberrare? Imò verò quantum exiſtimo faſcinatio Sapient. ca. 4. n. 12. nugamentum dicitur illis verbis: *Faſcinatio enim nugationis obſcurat bonos.* Adducunt tamen illi in ſuæ opinionis fundamentum ſe expertos eſſe; cùm aliquando vulnus recens curaretur, ingrediente muliere, quæ patiebatur menſes, repentè vulnus ex rubido, lividum; & ſubnigrum apparuiſſe. Id ego non negaverim: Sed illud etjam contingere potuiſſe

potuiſſe cenſuerim, etjamſi mulier illa intraret aversa, vel oculis coopertis: Ambientem enim aërem quoquò iret corruptum ferebat illa mulier; nec oculis tantùm, ſed toto corpore nocebat. Sed quia apud antiquos, & noſtri ævi leves homines, invaluit multùm hæc faſcinandi ſuperſtitio, colligam aliqua notatu digna, quo ea illuſtrem; & illorum vanam religionem faciam palàm; Simulque oculis caligãtibus nebulam offuſam diſcutere conabor, ut videant qua tranſlatione, & unde ſumta, Divus Paulus uſus fuerit in illo communi & vulgari dicendi modo. Plinius lib. 7. natural. hiſtor. cap. 2. ait: *In eadem Africa familias quaſdam effaſcinantium Iſigonius, & Nimphodorus tradunt: quarum laudatione intereant probata, areſcant arbores, emoriantur infantes. Eſſe ejuſdem generis in Triballis, & Illyricis adjicit Iſigonius, qui viſu quoque effaſcinent, interimantq́ue quos diutiùs intueantur iratis præcipuè oculis: quod eorum malum faciliùs ſentire puberes. Notabilius eſſe; quòd pupillas binas in oculis ſingulis habeant. Hujus generis & fœminas in Scytia, quæ vocantur Bythiæ, prodit Apollonides.* Quæ verba tranſcripſi, quòd videatur alio ordine legiſſe A. Gellius *lib. 9. cap.* 4. ex libris Hiſigonii, & Hegeſii *quod,* inquit, *poſtea quoque in lib. Plinii ſecundi naturalis hiſtoriæ ſeptimo legi; eſſe quaſdam in terra Africa familias hominum voce,* [hæc non Plinius] *atque lingua effaſcinantium, qui*

ſi impenſiùs fortè laudaverint pulcras arbores, ſegetes lætiores, infantes amœniores, egregios equos, pecudes partu, atque cultu opimas, emoriantur repentè, hæc omnia nulli aliæ cauſæ obnoxia. Oculis quoque exitialem faſcinationem fieri in iiſdem libris (Iſigonii ſcilicet) *ſcriptum eſt; traditurq́; eſſe homines in Illyricis, qui interimant videndo, quos diutiùs irati viderint; eoſq́; ipſos mares, fœminaſq́;, qui viſu tam nocenti ſunt, pupillas in ſingulis oculis binas habere.* Hactenus Gellius, & adeò animis antiquorum hæſerat eſſe faſcinum, ut multis remediis contra faſcinationem uterentur. Videlicet ruta, (ſicut ait Ariſtot. in Problemat.) & aliis herbis, ac lapillis, ut eſt apud Plinium. Saliva etjam matutina puerorum oculos & labella perungebant. Perſ. Satyr. 2. verſ. 31.

Ecce avia aut metuens diûum matertera cunis
Exemit puerum, frontemq́; atque uda labella
Infami digito, & purgalibus ante ſalivis
Expiat, urentes oculos inhibere perita.

urentes oculos vocat faſcinantes. *Saliua* verò *hominis* (verba ſunt Plinii lib. 28. cap. 4.) *faſcinatores repercutimus.* porrò digitus infamis Medius dicitur, quo indicabatur res, quæ faſcinum amoliri credebatur. Quare pueris in fronte apponebatur ad averruncandum faſcinum. Hinc illud Varronis lib. 6. de lingua Latina. *collo pueri rem turpiculam ſuſpendi ſolitam; ne quid obeſſet bonæ ſcevæ cauſa.* & paulò

paulò inferiùs vocat *Proebra* ſive *Prohebra*. Ea remedia faſcini: à prohibendo legendum in Gloſ. φυλακτήριον *Servatorium. Amolimentum. Amuletum. Proebra*. non *Pravia*, ut excudit Patius Lugduni, quamvis ex Bonaventuræ Vulcani recenſione: ſic *Enebra* ab inhibendo, Servius in fragmentis: *Certa genera avium ab auguribus appellantur, quæ pennis, vel volatu omina poſſunt facere. Quæ ſi fuerint proſperæ, Præpetes, ſi adverſæ, Enebræ dicuntur*. Feſtus *Ennbro, inhibenti* Græci ἀλεξίκακα. Noſtris tamen pueris pictura illa, quam vocant *Higa*: virgines etjam & matronæ noſtrates eandem figuram ex lapide Gagate, vulgò ſuſpendunt, religioſum id geſtamen arbitrantes amovendo faſcino, ita vocata à voce Græca ἴυγξ, quæ motacillam avem ſignificat, & mittit quartum caſum ſic ἴυγγα. Ea veneficæ ad amorem conciliandum, & odium depellendum utebantur. Theocritus in Pharmaceutr. Idill. β.

Ἴυγξ ἕλκε τὺ τῆνον ἐμὸν ποτὶ δῶμα τὸν ἄνδρα,

id eſt:

Iynx trahe tu illum meam ad domum virum.

& tantæ ab iis efficaciæ habita, ut Græci eo vocabulo amorem honeſtum vel inhoneſtum ſignificent. Oppianus lib. 4. de piſcatu ubi de Cephalis.

—— παύτη δὲ πόθων ἴυγγες ἄγουσι

Θαλπομένους ——

quaſi dicas: deſideriorum iynges eos calefactos agunt,

gunt, id eſt, ardor atque impetus amoris: quid? quod invocationes, & arcanæ precum vires, quas mutare nefas erat, ſtatis verborum legibus conceptæ ἴυγγες dicebãtur: καὶ μήποτε αἱ μάγων ἴυγγες αὗται, *Et huc tendunt*, inquit Syneſius, *illices, vel motacillæ magorum*: unde Proverbium Adagiographis *Iynge trahor.* pro; vehementi & impotenti deſiderio ad aliquid trahor. Cujus Etymologiæ gratiam ago, Doctori Franciſco Pennæ Caſtellon, qui opere & laude medicam artem ampliavit. Lege de hac re aureum ipſius tetraſtichum, cujus lemma

H I G A.

Vt pueri caveant lædentia lumina matrum
Collo appenſa regunt ſigna, Priape, tua.
Nomine noſtrates dixerunt IYNGA *pudico:*
Namque malis tantis iſta medetur avis.

Itaque faſcinum paulatim conſuevit accipi pro viri partibus. Dixi ad *Martialem lib.* 1. *Epig.* 93. *n.* 1. Sputum autem, & turpicula res faſcino credebantur adverſari: nam intuitu hujuſce fœditatis vis invidentis oculi nocere cupientis cludebatur: fœditas enim illa viſum avertebat. Plutarch. lib. 5. Sympos. Problem. 7. διὸ καὶ τὸ τῶν προβασκανίων γένος οἴοιτε πρὸς τὸν φθόνον ὠφελεῖν, ἑλκομένης διὰ τὴν ἀτοπίαν τῆς ὄψεως ὥς τε ἧττον ἐπερείδειν τοῖς πάσχουσιν. id eſt, *Itaque eorum, quæ adverſus faſcinum amuleta dicuntur, prodeſſe uſum putant contra livorem, avertentia*

viſum

viſum, ut minus penetret in eos, qui inſpiciuntur. Gloſſæ veteres. *Mutinum* περιβασκάνιον. vel, περιβασκάντιον. Apud veteres etjam βασκανία erant ridicularia, quæ ante portam fabri ferrarii appenſa invidiæ avertendæ gratiâ. Pollux lib. 7. cap. 24. Περὶ δὲ τῶ καμίνου τοῖς χαλκεῦσιν ἔθος ἦν γελοιά τινα καταρτᾶν ἢ ἐπιπλάττειν ἐπὶ φθόνου ἀποτροπῇ ἐκαλεῖτο δὲ βασκανία, id eſt, *ante camina verò fabri ſolebant ridicula quædam ſuſpendere, aut formare ad invidiæ averſionem, quæ* βασκανία *appellabantur.* In hortis etjam ne eos faſcinarent Satyrica ſigna, quæ faſcinum interpretor, appendebant. Plinius hinc intelligendus lib. 19. ca. 4. ubi de hortorum cura. *Quam rem,* inquit, *comitata eſt religio quædam, hortoſq; ad fores tantùm contra invidentium effaſcinationes dicari videmus. In remedio Satyrica ſigna: quanquam hortos tutelæ Veneris aſſignante Plauto.* Huc alluſit Divus Auguſtinus de Civitate Dei, lib. 7. c. 21. referens turpitudines, quas Libero Deo, qui & Mutinus dicebatur, tribuebant antiqui. *Liberi membro,* ait, *matremfamilias honeſtiſſimam palàm coronam neceſſe erat imponere: ſed videlicet ſic Liber Deus placandus fuerat pro eventibus ſeminum, ſic ab agris faſcinatio repellenda, ut matrona hoc facere cogeretur in publico?* Ad quæ nefanda ſacra reſpexit Prudentius li. 1. *contra Symmachum* in principio, his verbis:

Venit ad uſque Italos, ſacris cum turpibus, hortos.

Sinum lactis, & hæc votorum liba quotannis
Accipit, ac ruris ſervat vincta Sabini;
Turpiter adfixo pudeat quem viſere ramo.

Sacris turpibus dixit: propter illam fœdam coronationem, & deductionem extra portam Collinam ad Teneris templum, de qua ſcripſi ad *Martial. lib.* 3. *Epiſt.* 68. *nu.* 5. & late Carolus Paſchalius lib. 4. *Coronarum.* cap. 3. *Sinum* verò *lactis* & *liba* dixit, imitatus Virgilium Ecloga 7.

Sinum lactis, & hæc tibi liba Priape, quotannis
Expectare ſat eſt: cuſtos es pauperis horti.

Ex his *invidere*, & *faſcinare* idem. Familiare id, ſacris in literis & prophanis. Noſter Interpres in ſup. laudato D. Pauli loco, ubi in Græco eſt ἐβάσκανε; vertit *faſcinavit.* quod verbi etjã *inuidere* ſignificat. Prou. ca. 32. n. 7. *Ne comedas cum homine invido.* in Hebreo: *Ne comedas panem mali oculi.* רע עין. id eſt, ut Pagninus vertit, *malum oculum habentis.* LXX μὴ συνδείπνει ἀνδρὶ βασκάνῳ. ubi Shol. πονηρῷ ὀφθαλμῷ. *mali oculi viro.* Horat. dixit lib. 2. Car. Ode. 2.

Quiſquis ingentes oculo irretorto ſpectat acervos:

Quia oculi invidiæ patefaciunt iter. E prophanis Plinius. qui *lib.* 28. *cap.* 4. faſcinum invidiæ medium appellat. Catullus Epigr. 7.

—— nec pernumerare curioſi
Poßint, nec mala faſcinare lingua.

& quaſi innuens faſcinandi libidinem ſæpè ab invidia oriri, ſcripſit, Epigramm. 5.

Contur-

Conturbabimus illa, ne ſciamus,
Aut ne quis malus invidere poßit.

ubi obiter nota verbum *conturbabimus* quàm propriè poſitum. Nam ſuperſtitio ea veteribus erat, ut præfinitum numerum crederent faſcino obnoxium, cui ut obviam irent & averterent invidiam *Multa* dicebant: quæ vox nullum præfinitum numerum aſsignat. Hoc ſignificavit Poëta verbo *conturbandi*, quod miſcere rationes ſignificat, & ſupputationem confundere inter ſe, unde apud Iureconſultos decoquere eſt (L. *quidam* 16. π. de *in rem verſo*) nam decoctores cum creditoribus paria non faciunt: ſed rationes miſcent & conturbant. Integra locutio eſt apud Terentium in Eunucho Act. 5. Scen. 2. *conturbare rationes.*

Neque ædepol quid nunc conſilii capiam, ſcio
De virgine iſthac: ita conturbaſti mihi
Rationes omnes, ut eam non poſſum ſuis,
Ita ut æquum fuerat, atque ut ſtudui, tradere.

Quas faſcini differentias paucis verbis diſertè complectitur Virgilius Eccl. 7. dum ait:

Paſtores hederâ creſcentem ornate Poëtam,
Arcades invidiâ rumpantur ut Ilia Codro;
Aut ſi ultra placitum laudarit; baccare frontem
Cingite, ne vati noceat mala lingua futuro.

Ne ergo dum ſpectat maligna anus faſcinet, porrigit poſitionem illam digitorum, quam Hiſpani vocant *Higa*: (Antiqui extendebant medium

 digitum)

digitum) ut irridere non invidere ſe teſtetur. vel religioſa precatione non odiſſe affirmat.

Veteres etjam cum aliquid laudare volebant, ne lingua noceret, vel blanda laudatio, præfabantur *Præfiſcine* aut *Præfiſcini*: id eſt, ut ſine faſcino dicatur. Hiſpanè: *Bendigale Dios*. unde illud Titinnii Poëtæ in Setina

Paula mea amabo. Pol tu ad laudem addito
Præficine.

addit Chariſius interpretationem lib. 2. Inſtitut. Grammat. *Ne puella faſcinetur*. Plautus Aſinaria Act. 2. Scen. ult.

Præfiſcine, hoc nunc dixerim. ——

Sic enim eſt legendum & in Rudente act. 2. Sen. 2. *ut ſine labore hanc exſtraxi præfiſcine.*

Cauſam denique quare non credam eſſe faſcinum ex Hyppocrate petendam putaverim. parte 1. Aphoriſm. 5. lubrica enim res eſt, admodum valida corporis conſtitutio, & corpora ubi ad ſummum provecta ſunt vigorem, non conſiſtunt: ſed momẽto temporis in contrarium impelluntur. Cùm ergo confertim auctis corporibus ſeipſos meliùs, quàm expectaviſſent, affectos vident, ita ut ſeſe contemplentur, atque admirentur; tunc corpora mutationi ſubjecta ſunt, & propinqua, & in deterius porrò habitu vergente ſeipſos faſcinare putantur. quæ verba ſunt Plutarchi dicto lib. 5. Sympos. Problem. 7. Præterea pernities hæc infligitur

per

per dæmones hominibus, ut docent Sancti Patres. Divus Baſilius cognomento Magnus homilia de *Invidia*; ubi ridens hanc antiquorum de faſcino ſententiam dicit cenſere ſe dæmones uti invidorum oculis ad lædendum, ut inſtrumento quodam, & Divus Hieronymus lib. 1. Epiſt. ad Galatas in hæc verba, quæ pro coronide tranſcribere libuit. *Dicitur*, inquit, *faſcinus propriè infantibus nocere, & ætati parvulæ & iis, qui necdum firmo veſtigio figant gradum. Vnde & quidam è gentilibus dixit;*

Neſcio quis teneros oculus mihi faſcinat agnos.

Hoc utrum ſit verum, nec ne, Deus viderit. Quia poteſt fieri ut & dæmones huic pacto ſerviant, & quoſcunque in Dei opere, vel cœpiſſe, vel profeciſſe cognoverint, eos à bonis operibus avertant. Num illud in cauſa eſt (quod ex opinione vulgi ſumtum putamus) exemplum, ut quomodo tenera ætas noceri dicitur; faſcino, ſic etjam Galatæ in Chriſti fide nuper nati, & nutriti lacte, velut quodam faſcinante ſint puncti; & ſtomacho fidei nauſeantes Spiritus ſancti cibum evomuerint. Divus Chryſoſtomus homil. 8. ad Coloſſ. rationem curandi faſcini his verbis abominatur. CHRISTVS *ijicitur, & inducitur temulenta & nugatrix anus; myſterium crucis conculcatur & ſeductio diaboli tripudiat. Quid verò & alia ridicula commemorem? cinerem, ſolem, fuliginem, & rurſus vetulam in medium productā? Revera ridiculum, & dedecus, & oculus quiſque, inquis,*

quis, faſcinavit puerum? Quouſque ſatanica iſta? Quomodo non ridebunt nos Græci, quando illis dicimus, Magnam eſſe Crucis virtutem, quum videant nos iſtis egère, quæ ipſi derident. Hæc D. Chryſoſtomus, quæ pro mantiſſa vincent obſonium, ut ait Lucilius: De faſcinatione phyſica & magica vide noſtrum Delrium *lib. 3. diſq. Magic. qu. 4. Sect.* 1.

Sacrum eloquium quali ſermone conceptum ὅτι. Quod. *D. Joannes explicatus.* Principium qui & loquor vobis: *Ariſtoteli lux data.*

CAPVT XXXII.

VIdeo quoſdam ſtrenuos viros cauſſas conari reddere, cur ſacrum eloquium humili & non comto ſermone ſcriptum ſit, & vocibus de medio ſumtis utatur frequentiſsimè. Qua in parte operam eos ludere quivis doctus facilè animadvertet, ac diſtinguendum priùs cenſebit de Hebræone idiomate, Græcòve, an Latino ſermone fiat. Nam qui Hebræa callent, fulminantem & theatra quatientem Iſaiam, ceteroſq́ue Prophetas Demoſthene torrentiores admirantur. Iam Pſalmos Davidicos ita eleganti ſtilo compoſitos eſſe quis non videt? ut illorum comparatione Pindarus novemq́ue Lyrici ſordeant & repant humi.

Idem dicendum de ſublimi Iobi ſtilo, & poëſi. Idem de parabolis Salomonis. Si verò ad Cantica Canticorum convertas te, omnes Poëtas Græcos & Latinos, lectis his Canticis, obmuteſcere neceſſe erit.

Quare non ſine maxima cauſſa in templo Salomonis præficiebantur ducenti octoginta Cantores Davidis hymnis decantandis. At non de veteri; ſed de novo Teſtamento inſtitutam forte defenſionem dicent. Hic quoque diſtinguendum utrum de Latino an Græco ſit diſputandum. Si de Græco: non egêre ajo ſcripturam Græcam hac defenſione: nam, etſi fatear illam floſculis Oratorum ac Rhetorum, & orationis ornamentis ac verborum globulis, ſeſamo & papavere ſparſis, refertam non eſſe: Nihil tamen invenias quod poſsis jure, & non injuria reprehendere. Imò verò tanta illi rerum & verborum eſt proprietas, ut ex ſola illa verborum proprietate, ut cetera ſileam, profundiſsima myſteria poſsis indagare. Eadem opera defendas oportet leges omnes, quæ in Pandectis noſtris leguntur, quia Rhetorum lenociniis ſint deſtitutæ (vulgus aliter putat) nec verborum fulminibus contortæ ferantur. Propriis verbis & ſignificationibus, ſine tropis, ſine ſchematibus, fluunt: quibus ſi abundarent non leges, ſed corruptelæ potiùs vocarentur. Quare mihi parum acutè

cernere

cernere videntur, qui legum linguam cum Ciceronis eloquentia comparant. Si leges Cicero ſcripſiſſet, longiſsimè à ſeipſo, id eſt, ab illa copia, vel elegantia Latinitatis abfuiſſet; conciſè magis ac terſè cum Iurisconſultis loquendum & ſcribendum habuiſſet. Sed ad Latinam tranſlationem Novi Teſtamenti, cùm video rationes adhibitas, cur ſic ſcripta ſit, non poſſum non indignari. Sic enim ad amuſsim omnia ſunt è Græco Latinè converſa, ut Patrono & Curione non egeant: & quamvis Gregorius indignum vehementer exiſtimarit, ut ſacrum eloquium regulis Donati ſubjiceretur. Ita tamen Latinè tranſcriptum eſt, ut Grammaticorum normam non defugiat. Si periti & ſtrenui viri in lingua Latina de eo judicent. Quas turbas dedit hujuſce tempeſtatis authoribus locus Divi Ioannis cap. 8. nu. 25. Quorum opiniones recenſere eſſet longum, quas, ne videar nauſeam movere, miſſas facio.

Faciunt ne intelligendo ut nihil intelligant, verba ſunt: *Principium, qui & loquor vobis*, id eſt. Ego, qui ſum ipſa veritas, loquor vobis ea, quæ à Patre, qui verax eſt, audivi, *olim* ut ait Divus Paulus ad Hebræos cap. 1. *Deus loquens Patribus in Prophetis; noviſsimè diebus iſtis locutus eſt nobis in filio.* Ioannis in Græco textu, verba talia leguntur: τὴν ἀρχὴν ὅτι καὶ λαλῶ ὑμῖς. ubi τὴν ἀρχὴν accuſatius eſt, & ſubintelligitur præpoſitio κατὰ, id eſt, ἐξ ἀρχῆς; *à prin-*

à principio: ſic Nonnus Poëta interpretatur.

—— καὶ Χριστὸς ἀνίαχεν ὅτι παρ' ὑμῖν
Ἐξ ἀρχῆς ὀάριζον.

Vertit ergo interpres accuratè, *Principium.* eadem præpoſitione ſuppreſſa; cupiens eodem modo intelligere apud Latinos *Principium*: quo apud Græcos τὴν ἀρχὴν. & vocem ὅτι; quæ in tranſlatione Latina omittenda fuit, rectè omiſit. nam ubi opponitur affirmandi cauſſa, ex Græci ſermonis idiomate, aliquoties, ut hîc, non transfertur. In Thucidide, ὅτι ἐνβραχυτάτῳ *in breviſſimo tempore*: & ὅτι ἐπ' ἐλάχιστον· pro *minimo.* Quæ vox in vulgaribus tranſlationibus, non ſolùm cùm omitti debuit, non omittitur; ſed etjam imperitiſsimè verſa eſt, in *quia*, vel *quoniam*, vel *quod.* Ariſtoteles lib. 2. Analytic. poſt. cap. 1. quatuor præcipuè docet eſſe quærenda. τὸ ὅτι τὸ διότι, εἰ ἔστι· τί ἐστιν. Boetius vertit *quia. propter quid, ſi eſt, & quid eſt.* Et perſuaſit noſtris Philoſophis, ut primam illam quæſtionem vocarent. *Quæſtio. Quia*, aut: *Demonſtratio. Quia.* τὸ ὅτι vocat Ariſtot. *Rem ita ſe habere*: ut cùm quærimus de effectu rei. An mundus ſit æternus? An deficiat Sol? Cicero multa vertit ex Platone, & aliis Græcis in quibus ſæpiſsimè apparet vox ὅτι, quæ in Cicerone nunquam: ſed cùm Græcè dicitur: *Dico quod verum eſt.* Cicero dicit: *Dico verum eſſe.* Peſsimè etjam aliqui Latinorum in capitibus librorum ſic loquuntur. *Quòd bella non ſint juſta.*

Quòd Romani plures habeant Deos. Quòd tria ſint genera cauſſarum. Hæc & ſimilia longè fœtent Latinis auctoribus. At dices fidus interpres verbum verbo reddet; alioqui fidus interpres nō erit. Periculoſum præceptum ſi non rectè intelligatur. Adi D. Hieronymum in *libr. de optimo genere interpretandi*, & diſces peculiares alicujus linguæ Phraſes, & idiomata non ita poſſe reddi, ut verbum verbo reſpondeat; ſed ſententia ſententiæ.

Duæ negationes apud Græcos magis negant, ut apud Hiſpanos & Gallos. unde Boëtium ipſum malè habent, qui ſæpè transferat duas negationes, ut cap. de ſubſtantia. *Nullum nulli eſt contrarium:* nec parcunt, quòd ibidem transferens vocem ὅτι. ſic loquatur: *Dico autem*, inquit, *non quoniam ſubſtantia non eſt, à ſubſtantia magis, & minus ſubſtantia (hoc enim dictum eſt) ſed quoniam unaquaque ſubſtantia, quod eſt, non dicitur magis & minus.* Licèt enim interpretis officium ſit verbum verbo reddere, qui gloriam primam interpretandi conſequi cupit: verbum verbo fugiet reddere. Id docet malè acceptus locus Horatii in Epiſtola ad Piſones

Nec verbum verbo curabis reddere fidus
Interpres.

Quæ omnia complexus eſt idem D. Hieronymus in Prologo ad Euſebium, ubi ait ſi conemur ἔπος πρὸς ἔπος. Homerum eloquentiſsimum Poëtam Latinum

Latinum reddere, ita nos balbutientem & vix loquentem inducturos; ut linguæ hæſitatione trepidantem eum lector minimé agnoſcere valeat. At verò ſi talem religioſam tranſlationem fugiamus, interpretis munere nos nequaquam fungi, is autem, qui verba totidē adnumerare Latina Græcis verbis vellet, ſententiæ pondus ſæpè non retinet. De his latè ſcripſi in illo meo ſchediaſmate vulgari lingua conſcripto, & nuper in lucem edito. Igitur ut unde digreſsi ſumus revertamur, vocem ὅτι, quàm in Græco, vulgatus interpres omiſit conſultò; & in ejus loco, explicationis gratia, Qui. ſubſtituit. quo agnoſceretur illa affirmandi vis, quæ ineſt voci ὅτι. Expreſsio namque vocis Qui. vim & aſſeverationem quandam animo incutit, & importat. Aliquando etjam vocem hanc ὅτι omninò omiſit, ut apud Matth. ca. 27 n. 47. ὅτι ἠλίαν φωνεῖ οὗτος. *Eliam vocat iſte.* unde meritò non exaudiendi aſſerentes interpretem noſtrum pro ὅτι, quod nunc legitur, ὅστις legiſſe. Itaque vox ὅτι in dictis locis ſemper fuit omittenda. At verò ubi interpres noſter vertit, nec ſenſum turbat, nec litteram in concinnam reddit: præcipuè cùm ſcias appoſitiſsimé ſignificare *revera*. & idem operari expreſſam, quàm omiſſam. vide de his Matthæum Devarum & Leonicænum, qui de particulis linguæ Græcæ, quæ mihi ſufficiant, ſi tibi.

Gedeonis exercitus qui vicit Madiam Qualis?
Tanquam canis è Nilo.

CAPVT XXXIII.

QVum Deus omnipotens miranda facta ſua voluit hominibus eſſe manifeſta; ferè ſemper hoc uſus eſt argumento, ut ea per inſtrumenta viliſsima quæque operaretur. Inde eſt ut ad pugnandum univerſum hominum genus piſcatores pauculos & paperculos elegerit, qui non eloquentia admirabili, ut Oratores; non potentibus armis, ut Alexander; ſed pura ſimplicitate potentiſsimos quoſque reges ad Evangelii claritatem perdurarent. ait Divus Paulus 1. ad Corinthios ca. 1. num. 27. *Sed quæ ſtulta ſunt mundi, elegit Deus ut confundat ſapientes. Et infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia; & ignobilia mundi, & contemtibilia elegit Deus, & ea quæ non ſint, ut ea quæ ſunt destrueret. ut non glorietur omnis caro in conſpectu ejus.* Sic ſe habuit in hiſtoria Gedeonis Iudicum, cap. 7. Quum enim triginta & duo millia virorum collegiſſet contra Madianitas Dux Gedeon; admonitus à Domino eſt, ut liberam faceret abeundi facultatem iis, qui prœlia horrendi Martis pertimeſcerent. Abierunt viginti duo millia, qui dulce bellum inexperti antea crediderant. Quumque

decem

decem millia remanerent multos eorum abjiciendos præcepit Dominus; idq́ue eo conſilio facere intendit, ne, quum finitum prælium eſſet, poſſet quiſquam victoriam ſuis brachiis, ſuis viribus partam clamitare. Signum igitur Gedeoni tale datum fuit. *Qui lingua lamberint aquas*, inquit Dominus, *ſicut ſolent canes lambere; ſeparabis eos ſeorſum: qui autem curvatis genibus biberint in altera erunt.* Fuit itaque numerus eorum, qui manu ad os projiciente lamberent aquas, trecenti viri: omnis autem reliqua multitudo flexo poplite biberat. Hanc hiſtoriam, & factum longè aliter accipio & interpretor, quàm explicatum inveniam. Signum dedit Dominus Gedeoni, quo poſſet milites fortes ab ignavis diſcernere. Volebat enim ſecluſis fortiſsimis periculoſum, & maximum bellum, non exercitatis militibus conficere. Quum igitur Madianitæ ab ora flumen conſiderent, qui cum Gedeone cìs flumen erant ſitibundi, ad flumen accurrerunt. Ex quibus, qui ex hoſte proximo timorem conceperant, parùm incurvi, & pœnè ſtantes manu aquam in os ingerebant: cœteri verò nihil hoſtem proximum timentes, genibus in ripa flexis, ipſo ore aquam hauriebant. Sed forſan objicis aliter videri hæc in ipſo ſacro contextu ſignificari. De primis enim dicitur num. 5. *Qui lingua lamberint aquas, ſicut ſolent canes lambere*. Sed advertendum eſt ſimilitudinem canum hîc mirificè

quadrare cum timidis militibus. Nam canes é fluvio bibituri, ſi in fluvio ſentiant eſſe animalia, à quibus timere poſsint; raptim & currentes lambitare ſolent; ne deprehendantur. unde natum Proverbium: *Tanquam canis è Nilo* in illos, qui properanter, & curſim aliquid faciunt. Ælianus lib. 1. de var. hiſtoria. Et *illud*, inquit Latinè, *de Cane Aegyptio ſapientiam refert: non enim cumulatè, non largè, non liberè ex fluvio bibunt proni ſimul incumbentes, & quantum ſitiunt haurientes. Vident enim, quæ intus ſunt, feras: prætercurrunt itaque ripam, & veluti furantes bibunt: ita mortem vitant, & ſitim nihilominus reſtrinxerunt.* Plinius etjam li. 8. cap. 40. *Certum eſt*, inquit, *juxta Nilum currentes lambere, ne crocodilorum aviditati occaſionem præbeant.* vellet hîc Cynthius aurem, & monet canes fugare non ſolùm properanter bibentes, ſed & mordentes clanculum; ſcilicet parituros fœtus non cœcos ſi expectent donec Elephanti. Atque inter hæc, caninâ nempe facundiâ,

Adlatrent nomen quod ſibi cunque datur.

Dices illos mordere lapidem, Lector; Sed cave, cave, inquam, ac pro dignitatis æquitatiſque tuæ ſapientiâ & luce quæſo judica quæ veſanos inſania vexet. queis non feſtinatio quidem ullius operis ſui catulos informes edat, ſed incauta ipſa reprehenſio, qua ſibi ignavi. Nobis autem & cœteris, bona fide ſcribentibus, graves, ac iniquos alieni laboris

laboris æſtimatores oſtentant ſe. Sed

— *nos ad cœpta feramur.*

Fortiores dico militũ hoſte viſo nihil territi genu flexo in aquam os immergebant. Hiſque omnibus Gedeon abire juſsis, cum reliquis qui tercentum fuêre prœlium ſtatuit committendum. Quod ſenſiſſe videtur Flavius Ioſephus lib. 5. *antiquit. Iudaic.* cap. 8. ubi, poſtquam ſcripſit Deum in ſomniis apparuiſſe Gedeoni, illique dixiſſe homines tali eſſe ingenio, ut ſibi placentes nemini vellet virtute cedere, & victoriam ſibi potiùs, quàm Deo tribuere: nimirum magnis copiis freti, ait; Deum Gedeoni juſsiſſe (quò ſcirent rem totam pendere ab ipſius auxilio.) ut circa meridiem cùm æſtus ferveret, maximè exercitum duceret ad fluvium, & quotquot procumbentes biberent, eos viros fortes crederet; quotquot autem trepidé ac tumultuarié potum ſumerent, exiſtimaret eos ignavia & metu hoſtium id facere: & ſubjungit ποιήσαντος δὲ κατὰ τὰς τοῦ θεοῦ ὑποθήκας τοῦ γεδεῶνος τριακόσιοι ἄνδρες εὑρέθησαν ταῖς χερσὶ μετὰ φόβου προσενεγκάμενοι τὸ ὕδωρ τεταραγμένως, id eſt, *quum feciſſet Gedeon ſecundùm præceptionem Dei, inventi ſunt trecenti viri manibus præ metu aquam ſumentes confusè.*

Vocalis.

*Vocalis.*H. *apud Græcos apud Latinos* Eta *non* ita. *His ductibus delineatur. Quare? multa Latina nomina* E *habentia, per* H. *concepta ſunt ab autoribus Græcis, qui Romanam hiſtoriam ſcripſère. Perſius & Martialis illuſtrati. Gajus item Juriſconſultus.* Eliam vocat iſte.

CAPVT XXXIV.

LItteras Græcas nos à barbaris & perditiſsimis didiciſſe hominibus, qui Latinam ipſam peſſundedere linguam; earumque Græcarum litterarum ſonos confundere nos, nemo qui ſincerè judicet, audebit dubitare. Quis autem dubitet has litteras ab Hebreis originem duxiſſe? cùm Plinius & alii teſtentur id manifeſtè. nam in promptu eſt *Alpham. Betam. Zetam. Thetam*: ab *Aleph. Beth. Zade. Teth*, &c. derivari. Sed ut reliqua mittam. De *Eta* videamus. Quam demonſtrabimus non ſolùm, quod noſtri dicunt, apud Latinos verti in *E* longum. Sed etjam apud Græcos ſemper ſonare *E*, aut potiùs *ee*. Ac primùm rogo quare Græci ponant in Alphabeto *epſilon*, id eſt, *e, tenue*. ſi non haberent aliud *e*? ſic enim dicunt *omicron*. id eſt, *o parvum*; ad differentiam. ω. *o magni*. Habent igitur *e* tenue, & *e* craſſum, quod eſt *eta*: de his litteris ε. η. ο. ω. ſic ait Terentianus Maurus, quo ſolo teſte contenti eſſe poſſemus.

Temporum

Temporum momenta diſtant non ſoni nativitas.
Cratonius, citante Suyda, vocem ovium his litteris exprimebat: βῆ, βῆ, quaſi legas *bee. bee.* non autem *vi vi.* & Euſtathius ad Homerum β. ait: μιμητικὸν τῆς τῶν προβάτων φωνῆς. & alio in loco eandem Cratini authoritatem citat, cujus extat apud Ælium Dyoniſium is verſus:

ὁ δ' ἠλίθιος ὥσπερ πρόβατον βῆ
βῆ λέγων βαδίζει.

Plato in Cratylo diſertè teſtatur η, & ε idem ſonare; cùm inquit: οὐ γὰρ η ἐχρώμεθα ἀλλὰ ε τὸ παλαιόν. id eſt, *η enim non uſurpamus olim; ſed ε.* & Auſonius *ητα quod Aeolidûm, quodq́ue ε valet, hoc Latiale* E.
Præſto quod E Latium ſemper breve Dorica vox ε.
Eſt igitur ητα non ſolùm vertendum in *E longum*, ut omnes docent; ſed Græcè etjam pronunciandum, ut duo *ee*. Nam Græci antiquiores, quas produci vellent litteras bis pingebant: ut δεεμος: δεμος. ἄνθροοπος: ἄνθρωπος. Poſtea Simonides Melicus ex duobus *ee*, invertit alterum ſic Ε Ǝ: deinde conjunxit hac forma H. ut ΒΕΕΛ qui fuit ΒΗΛΟΣ Nini pater, Aſſyriorum Rex. Qui aſſerunt H Græcorum enunciandum per I Latinum, ſuæ ſententiæ aſſertorem nullum habent: præter meram barbariem; Gothos, Vandalos, Hunnos, & imperitiſsimos Grammaticos, qui perfricta fronte docent apud Græcos eſſe ſex pronuntiationes ad ſonum I exprimendum. ut H I. Y EI. OI. H quis hoc tibi perſuadet

ſuadet niſi plumbeus? Fruſtrà enim diſtinctæ eſſent litteræ, ſi nihil different ſono. An credis Græcos eodem ſono protuliſſe φηλῶ *decipio*, & φιλῶ *amo?* φῆλος *impoſtor*, & φίλος *amicus?* φηλήτης *deceptor*, & φιλήτης *latro?* ἐφήμερος *diurnus*, & ἐφίμερος *deſiderabilis?* κηρὸς *cera*, & κῦρος *poteſtas?* κήριον *favus*, & κύριος *dominus?* Plutarchus & alii; Qui res Romanas Græcè ſonabant Πομπήιος *Pompejus* ſcribebant: ubi ineptè legeret aliquis Pompius Βηλαυρον *Velabrum*. ſic: Κορνήλιος *Cornelius*, Αυρήλιος. *Aurelius*. Λήγατος *Legatus*. Μάνης *Manes*. non *manis*: βαλήρε *valére*. Βηλος *Belus*. βῆλοι *velum*. Perſius *Theta* non *thita* ſcripſit Sat. 4. verſu 13.

Et potis es nigrum vitio præfigere Theta.

Martialis lib. 7. Epigr. 36.

Eſt operæpretium dicere theta novum.

& *beta*, non *bita* dixit idem Martialis lib. 5. Epigram. 27.

Dicas licebit beta me togatorum.

Sidoninius item Apollinaris in Carm. 9. ad *Magnum Felicem Conſulem* circa finem

Iſti qui valet exarationi
Diſtrictum bonus applicare theta.

Accedat his Iuriſconſulti Gaii authoritas, qui in L. *ſi calvitur*. 233. §. *telum*. 2. π. de verb. ſignif. ait; *Telum vulgò quidem id appellatur, quod ab arcu mittitur: ſed nunc ſignificatur omne quod mittatur manu. Itaque ſequitur, ut lapis, & lignum, & ferrum*

*rum hoc nomine contineatur, dictumq; ab eo, quòd in
longinquum mittitur. Græca voce figuratur* ἀπὸ τοῦ
τηλοῦ, *id eſt, ab eo quod eſt longè.* Quam Etymolo-
giam Gajo refert acceptam Iuſtinianus Impera-
tor, in §. *item lex Cornelia de ſicar.* Inſt. de *publicis
Iudic.* Imp. verba ſunt: *Sequitur ergo, ut lignum, &
lapis, & ferrum hoc nomine contineatur, dictum ab
eo, quod in longinquum mittitur, à Græca voce* τηλοῦ.
Harmenopulus item λήγατα pro *legatis* ſcripſit *lib.
1. tit.* 9. §. 1. cujus vocis frequens eſt in libris Iure-
conſultorum Græcorum mentio. & apud *Pachy-
merium in Paraphraſi S. Dyoniſii Areopagitæ* οὐραν.
ἱεραρχ. *cap.* 15. ſunt etjam prope infinita nomina,
quæ Latio donata H per E exprimunt. Quod ſi ver-
tendum eſſet ἦτα in alium ſonum elegantiùs ver-
tiſſes in α quàm in ι. Nam Ionicè & Doricè *A lon-
gum* frequenter vertitur in H & è contrà, ut ταν
pro τὴν: & γᾶν, pro γῆν. unde μῆλα, μᾶλα *mala.*
φήμη. φάμα. *fama.* μήτηρ, μάτηρ. *mater*; & multa
hujuſmodi. Quin & plura verba Hiſpana enun-
tiantur per E aut A, quæ Græcis ſunt in H. ut *Apo-
ſtema.* ἀπόστημα. *Boſque.* Βόσκη. *Cementerio.* Κοιμητή-
ριον. *Cometa.* Κομήτης. *Galope.* Κάλπη Nec nos hîc,
ſeu alibi, Sacroſanctam Vulgatæ fidem aut corri-
gimus, aut emendamus, vel in apice uno tantùm
monemus Lectorem de alia pronuntiatione, vel
accentu. Noſtra ſtabilimus; cœtera non reijci-
mus: quod certiùs, cùm ipſiuſmet Vulgatæ ver-

ſionis anceps ſit in hac re teſtimonium. Abnuis? Nónne in Eccleſia *Amen* dicitur, cùm Græcè ſit ἀμὴν. Item ἀλληλούϊα. *Alleluya.* Εμμανουὴλ. *Emmanuel.* Ιωσὴφ. *Joſeph.* & alia, quæ congerit Doctus vir Adolphus Mekerchus in ſuo aureo libello de veteri linguæ Græcę pronuntiatione. Renuis? Teſtimonium accerſere libet ſanè inviolabile. Narrat Divus Matthæus *cap.* 27. *num.* 46. CHRISTVM jam ſpiritum emittentem voce magna exclamaſſe in illa verba Pſal 21. *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me?* quæ characteribus Græcis ſic depinxit. ἠλὶ ἠλὶ, λαμὰσαβαχθανί. & Latinis ita tranſtulit Noſter Interpres. *Eli Eli, Lamma ſabacthani.* Vides Hebræam vocem, quæ per ALEPH & SERI. ab ipſis Hebræis profertur, Græcè ab Evangeliſta per *Eta* enunciatam, & à Vulgato Interprete per E, non per I? Quod ſi H non pronunciaretur ut E, & *Ili Ili,* legeres; Evangeliſta ſignificaret ne, milites Romanos, qui cruci aſtiterunt, dixiſſe *Eliam vocat iſte*: per paronomaſiam ſcilicet, procaciſsima irridendi IESV licentia: vel per ſimilem vocum ſonum, ignoratione linguæ Hebrææ? Minimè. Nec in contrarium movet illorum turba, qui tractu temporis cogitant ſe defendere; quaſi aliquid in hac parte præſcripſerit tempus. Magis moveat Divi Auguſtini graviſsimum dictum. *Nobis,* inquit, *qui ratione vincimus, fruſtrà conſuetudo objicitur: quaſi conſuetudo major ſit veritate.*

Nec

Nec ſit aliquis tam protervus, qui longo jam uſu factam eſſe dicat præſcriptionem: nam poſſeſſor malæ fidei, ut eſt apud Iureconſultos, nunquam poteſt præſcribere. Quis jam vel mediocriter doctus dicit aliter quàm, *Daríum*, *Baſilíum*, *Antiochíam*, *Samaríam*, penultima longa. Non enim qui habent, ſeu amant bonam mentem fovenda eſſe, quæ Barbaries commiſit, exiſtimant; ſed, quæ admiſit, judicant vindicanda. Innumera hujuſmodi audio correxiſſe Monachum Meneſium in libro de accentibus Eccleſiaſticis. Quin etjam de Litteris Græcis Henemeriti hac vera pronuntiatione utuntur, & libri ejuſdem pronuntiationis uſque emittuntur in lucem, à quibus recedere nefas ducunt; & graviſsimos antiquos authores ſuæ ſententiæ teſtes, & aſſertores dant. Quales ſunt Soſipater Chariſius. Terentianus Maurus, Victorinus, & alii. De iis, & vera Linguæ Græcæ pronuntiatione jam olim ſcripſiſſe, mihi renunciatum, Huraltum Eccleſiæ aquarum Sextiarum Antiſtitem.

Pelecan. Pelecânus. Alcatrax. Similis factus ſum Pelicano ſolitudinis. *Onocrotalus. Ejus Etymon. Truo. Cæcilii verſus explicatus.*

CAPVT XXXV.

QVid ſit Pelicanus in illo Pſalm. 101. num. 7. *Similis factus ſum Pelicano ſolitudinis*. ignorant multi (aliter etjam legit, *Pelecanus* ſcilicet) in accentu verò peccatur: non enim Pelícanus, ſed Pelicánus penultima longa enunciari debet. Græcè Attica lingua: πεληκᾶν. ἄντος. Doricè: πελεκᾶς. πελεκᾶ. Communiter: πελεκάνος. ȣ. & πελεκᾶν. πελεκάνος. Sic Suidas; qui tamen pro Pico Martio videtur accipere, qui arbores excavat. Ego tamen crediderim Onocrotalum, quem aptè deſcribit Nebricenſis *cap.* 32. eundem eſſe cum Pelicano. Hunc mortuum multos vidiſſe comperio Salmanticæ anno CIƆ IƆ XXC. atque teſtatur M. Franciſcus Sanctius Brocenſis in notis ſecundis ad Alciati *emblema*. 95. quas ad oram autographi ſcriptas habeo. Cujus Onocrotali roſtrum ad quatuor ferè ſpithamas extendebatur; & in inferiori parte per totum roſtri ſpatium pendebat ingluvies urnæ aquæ capax. unde Indis appellatur CELA: nam κήλη Græcis tumorem in gutture ſignificat; quem in Pelicani gutture deſcribit Ariſtoteles lib. 9. hiſt.

anim. cap. 10. *τὸν περὶ τῆς κοιλίας τόπον.* & Oppianus ſic:

Κόλπον ἐξήνεγκε στομάπερ τῷ στέρνῳ.

Galli *goutttereſſe* nominant, quaſi gutturoſam avem: Itali hodie adhuc *Grotto*, vel *Agrotto* vocant. Hanc puto eſſe, quam Nova Hiſpania vocat *Alcatraz*, in quam ſententiam it Petrus Martyr, qui poſtquam de Onocrotali cibo, & piſcatione multa memoriæ prodidit, ſic inquit: *Ad vaſti gutturis ergò pondus ſubſtituendum provida Natura grandes illi præſtitit alas; quandoquidem ad leve corpus ferendum non oportuit, volucres has Hiſpani vocant* ALCATRAZES. Ex quibus unus compertus eſt, habens in ingluvie infantulum Æthiopem, cujus pondere oppreſſus in terram decidit, ut ipſemet Franciſcus Sanctius Brocenſ. loco ſupra citato refert. Roſtrum avis inſtar anſeris eſt. At dices quo pacto fieri poteſt (roſtro avis ita eſt obtuſo) ut pectus perforet, quo filios famelicos ſanguine paſcat? Dico ſanguinem exprimere preſſatâ, quàm puncta carne. Plurimi prodigialiter variant figmentum eſſe pictorum reputantes: quaſi

—— pictoribus atque Poëtis
Quidlibet audendi ſemper ſiet æqua poteſtas.

Mihi verò minùs illis credulo

(—————PIETAS *namque una triumphis*
Innumeris potior. ——)

mens venit quaſi per ſatyram congerere, quæ notavi

tavi de hac re, cùm tam ſacri, quàm prophani Autores hac ſimilitudine crebro utuatur, noſterque Rex Alphonſus, omni laude digniſsimus id ſymbolum jure vindicaverit ſibi, & ut Lector videat quàm appoſitè, & piè de CHRISTO Domino dici poſsit quod de Pelicano, ſive in alendis ſuis filiis, ſive in ſolitudine, quâ delectatur hæc avis. Dicitur vorax & aſini voce boans: quare alio nomine, ut retuli, *Onocrotalus* appellatur, ἀπὸ τῦ ὄνος, quod eſt *aſinus*, & κροτάω. *Crepito.* quam *Truonem* dici teſtatur Verrius Flaccus; & Cæcilius Comicus apud Feſtum irridens cujuſdam naſi magnitudinem,

Prô Dij immortales, unde prorepſit TRVO!

Onocrotalus enim habet roſtrum inſtar naſi ſublongi. Cur igitur Pelicano CHRISTVS aſsimilatur? propter ſolitudinem ſcilicet. Nam ſolitarius eſt, ut nicticorax; ſic refert ſcriptum in *Thalmud R. David Kimhi*, teſte Geſnero. Propter ſolitudinem, inquam, juxta illud *D. Matthæi* cap. 8. n. 20. *Vulpes foveas habent, Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet*. Hinc David, cùm ſignum hominis contriti ſit ob pœnitentiam peccati ſe in avia loca conferre, cui gravis ac moleſtus eſt ſtrepitus turbæ, publicique conſpectus frequentia ait: *Factus ſum itaque* (ſic interpretatur Arnobius ad dict. *Pſal.* 101.) *Sicut Pelicanus, avis illa, quæ non habitat niſi in deſertis, habens eſcas veneno Eremi; & incultis amaritudinibus plenas.* vel exclamavit

clamavit in illa; quia tunc errabundus erat per deſertum, quo Saulis fugeret indignationem. Porrò ubi nos legimus: *Similis factus ſum Pelicano ſolitudinis*, qui Pſalmos ad Hebræam lectionem componunt, legunt; *Similis factus ſum Onocrotalo gaudenti ſolitudine*, ut elicias Onocrotalum eamdem avem eſſe cum Pelicano. Pagninus etjam *cap.* 34. *num.* 11. *Iſaiæ*, vertit. *Et poßidebant eam Pelicanus:* ubi Divus Hieronymus. *Et poßidebant illam Onocrotalus.* qui idem nominis KAATH. nunc pro Onocrotalo accipit, ut in d. *cap. Iſaiæ* (ſic item vertunt LXX. *Levit. cap.* 11. *num.* 18.) nunc autem pro Pelicano: ut in d. *Pſalm.* 101. Scias quòd Orus Apollo de vulture prodidit; filios videlicet ſuos paſcere rupto, non pectore; ſed fœmore: quod verum ne ſit? Fides pænes hiſtoricos. De Pelicano autem quod ſuum perforet pectus, ut filios alat in magnorum virorum ſcriptis aſſertum invenio. inter quos Ælianus eſt, *lib.* 3. de *hiſtoria animalium cap.* 23. licèt ſe teſtem profiteatur auritum. Et Divus quoque Iſidorus *lib.* 12. *Orig.* dubitanter de hoc loquatur ubi ait, *Fertur enim, ſi verum eſt, eam occidere ſuos natos, eoſq́ per triduum lugere, deinde ſe ipſum vulnerare, & aſperſione ſui ſanguinis vivificare filios.* Sed Emanuel Serveira Pereira retulit nuper juxta amnem Coanza in Regno Angolæ, cui præfuit ipſe, inveniſſe incolas illius Regni; verùm Pelicanum, quem deſcripſit talem. Erat avis major

auſere, ſubcinereo colore; roſtro longo, & in fine acuto: cruribus nigris, & proceris; digitis pedum membranula quadam complicatis, medio pectore implumi, ubi ſibi ipſi (ſic tradidêre Incolæ) vulnus Pelicanus infligit, ut ſanguine effuſo famelicos pullos alat: vides Pelicanum ſolitudine gaudentem? Vides erga filios eſſe pientiſsimum?

Vide multa congerentem Conrradum Geſnerum *lib 3 de avibus. Et* Vlyſſem Aldrovandum *Ornithologiæ lib. 19. tom. 3.* quos in ea parte tantùm, quæ hiſce non adverſatur, ſequor.

Περίεργα Curioſa Locus Actorum illuſtratus. Libri fatidici combuſti ex pœna Vlpianus correctus. Eccleſiaſticus explicatur. Herodiano, Platoni, Ariſtæneto, Catullo, & Horatio lux. Curioſitas *in* L. Nemo C. *de* Malef. *Mathem.*

CAPVT XXXVI.

LEviora hæc, ſed curioſa; etjam ſi non curiſao eo ſenſu, quo hîc curioſa declaravimus. In Act. Apoſt. cap. 19. num. 19. legimus: *Multi autem ex eis, qui fuerant curioſa ſectati, contulerunt libros, combuſſerunt eos coram omnibus.* Alii tranſferunt: *Qui curioſas artes exercuerant.* Græcè: τῶν τὰ περίεργα πραξάντων. Sed quid ſit hoc in loco *Curioſus*; aut Græcè περίεργος, non explicant Lexica

xica Græca, nec Latina. Ego hîc Magicas artes intelligi affirmârim. Quod ſatis indicant verba ſequentia: τὰς βίβλοις κατέκαιον, id eſt, *libros conbuſſerunt*: nam talis pœna ſtatuta in libros, qui inanes, & anniles technas continebant. Livius lib. 39. ait: ſæpè id patrum atque avorum ætate factitatum, ut vaticinos libros conquirerent, comburerentque. Suetonius in Auguſto cap. 31. *Quidquid fatidicorum librorum*, inquit, *Græci Latiniq́ generis, nullis, vel parùm idoneis auctoribus, vulgò ferebatur ſupra duo millia contracta undique, cremavit; ac ſolos retinuit Sibyllinos, hos quoque delectu habito.* Paulus item Iureconſultus teſtatur idem lib. 5. Senten. & 23. ad Legem Corneliam de Sicariis, & veneficis §. 12. his verbis: *Libros Magiæ artis apud ſe neminem habere licet; & ſi penes quoſcumque reperti ſint, bonis ademtis, ambuſtiſq́ his publicè, in inſulam deportantur; humiliores capite puniuntur*. Hinc Vlpiano medicina petenda in L. *Cœteræ* §. 1. verſ. *Tantundem.* π. familiæ erciſcundæ. *Tantundem*, ait, *debebit facere & in libris improbæ lectionis, Magicis fortè vel his ſimilibus. Hæc enim omnia protinus corrumpenda ſunt*. Legendum: *Comburenda*: Quod ut credam facit Herodianus lib. 4. de Antonino loquens ſic: *Cùm Magiæ valdè deditus eſſet, non ſolùm omnia* (intellige: occulta.) *hominum ſcire volebat; ſed Divina etjam, & Dæmoniaca verſabat*. Græcè; περιεργότερος γὰρ ὢν, οὐ μόνον τὰ ἀνθρώ-

 πων

πων πάντα εἰδέναι ἤθελεν, ἀλλὰ καὶ τὰ θεῖα, καὶ δαιμόνια πολυπραγμονεῖν. Et paulò inferiùs refert eum Magos omnes, & etjam Aſtronomos accerſiſſe undique, ut eos conſuleret de ſuſpicione concepta. qui locus mihi vellit aurem, ut alterius explicationem tentem. *Eccleſiaſt.* cap. 3. num. 23. ἃ προσετάγη σοι, ταῦτα διανοοῦ ὁσίως, οὐ γάρ ἐστί σοι χρεία τῶν κρυπτῶν. Ἐν τοῖς περισσοῖς τῶν λόγων σου μὴ περιεργάζου. πλείονα γὰρ συνέσεως ἀνθρώπων ὑπεδείχθη σοι. id, eſt. *Quæ præcepta ſunt tibi hæc cogita ſanctè: non enim eſt tibi opus occulta videre oculis. In ſupervacuis ſermonum tuorum ne ſis curioſus. Plura enim intellectu hominum oſtenſa ſunt tibi.* ubi nota illa verba ὁσίως. *ſanctè*: & μὴ περιεργάζου. *ne eſto curioſus.* Dixerat priùs non decere hominem ea, quæ occulta ſunt inquirere; ſed quæ præcepit illi Deus pié cogitare. &, quo ſe explicet, ſtatim ſubjungit; in ſupervacuis rebus (τῶν ἔργων legitur in aliquibus Græcis Codicibus, & ſic legiſſe videtur vulgatus Interpres) non eris curioſus, ſupervacuum, & impium opus eſt conari occulta magicè agnoſcere. præcipuè cùm tot mirabilia homini ſint palàm facta quibus ſe meditari, & exercere, magna cum fructus acceſsione, & delectatione poſsit. *Sanctiùs*, ait Tacitus, *& reverentiùs viſum, de actis Deorum credere, quàm ſcire.* ut videas quid etjam Ethnici ſenſerint. Oppoſuit Eccleſiaſticus religionem ſuperſtitioni, innuit clarè verbo περιεργάζομαι. quod ſignificat

præbere

præbere operoſam quandam ſedulitatem, quæ à religione in ſuperſtitionem declinat. Quintil. li. 8. *Inſtit. Orator.* cap. 3. de περιεργία. hoc eſt, ſuperfluitate ſermonis, & ſententia longiùs deducta, quæ res non neceſſarias comprehendit. *Eſt etjam*, inquit, *quæ* περιεργία *vocatur, Supervacua, ut ſic dixerim, operoſitas; ut à diligenti curioſus, & à religione ſuperſtitio diſtat.* dixi jam cap. 10. Hæc in crimen verſa fuit Socrati; qui apud Platonem in apologia dicitur περιεργάζειν. *magicè inquirere* de his quæ ſubterranea, & cœleſtia. Verba Platonis ſunt: Σωκράτης ἀδικεῖ, καὶ περιεργάζεται ζητῶν τά τε ὑπὸ γῆν καὶ τὰ ἐπουράνια. id eſt. *Socrates præter jus curioſius inveſtigat, ea quæ ſub terrâ, & in cœlo ſunt.* Ariſtænetus etjam lib. 2. epiſt. 18. περιέργους pro magis poſuit ὁ γὰρ ἄνθρωπος οὐχ ὡς προαγωγὸς τῷ ποθοῦντι προσῆλθεν, ἀλλά τις εἶναι τῶν περιέργων ἐδόκει. *Sed ille homo, non lenonis ſpecie acceſsit juvenem; verùm tanquam unus aliquis è curioſis.* Quin & Latinè *curioſus* per antonomaſiam, & κατ' ἐξοχὴν appellatus is, qui curioſas præ cœteris artes; hoc eſt, *magicas* ſcrutatur Catullus Epig. 7.

—— nec pernumerare curioſi
Poſſunt; nec mala faſcinare lingua.

Horatius ἐπῳδῶν Ode. 17. de Canidia Maga.

An quæ movere cereas imagines,
(Vt ipſe noſti curioſus) & Polo
Deripere Lunam vocibus poſſum meis:

Poſſum crematos excitare mortuos
Deſider Iq; temperare poculum.
Plorem artis in te nihil habere exitum?

Et *Curioſitas* Magia. Tertul. in lib. de Idololatria cap. 9. *unum*, inquit, *propono Angelos eſſe illos deſertores Dei, amatores fœminarum, proditores etjam hujus* CVRIOSITATIS. [Magiæ] & lib. de habitu muliebri cap. 2. *Et incantationum vires provulgaverant, & omnem* CVRIOSITATEM *uſque ad ſtellarum interpretationem deſignaverant.* Severiſsimè ſanxit in circulatorias præſtigias. Conſtantius Imp. in L. *Nemo.* 5. C. de Maleficis, & Mathemat. *Sileat*, ait, *omnibus perpetuò divinandi* CVRIOSITAS: *etenim ſupplicium capitis feret gladio, quicumque noſtris juſsis obſequium denegaverit.*

Λῶρον. *vel* Λῶρος. ἱμὰς προτείνω. Cùm aſtrinxiſſet eum loris. *Liberorum, & Servorum antiqua pœna. Terentius illuſtratus. Servilia verbera.* Flagris rumpi *apud Vlpianum. Martialis explicatus.*

CAPVT XXXVII.

LEviculum & hoc: & levi, quod ajunt, brachio tractandum. *Act. Apoſt.* cap. 22. num. 25. *Et cùm aſtrinxiſſet* [Tribunus] *eum loris, dixit adſtanti*

ſibi

ſibi Centurioni Paulus, &c. Græcè. ὡς δὲ προέτεινεν αὐτὸν τοῖς ἱμᾶσιν, εἶπε πρὸς τὸν ἑστῶτα ἑκατόνταρχον ὁ Παῦλος. Sed cùm verbum προτείνω propriè ſignificet: *Prætendo. Porrigo. Injicio.* verteretur etjam commodè. *Cùm objeciſſet eum loris.* hoc eſt: cùm jam lora, quibus Paulus erat cædendus prætenderentur: aut cùm lora juſsiſſet Tribunus parari, quibus Paulum objiceret. & verò *Loris*: Græcè ἱμᾶσιν: dativus eſt, non ſextus caſus. Quin etjam *Lora*, Græcè λῶρα, ſive ἱμάς, non ſolent parare ad vinciendum, ſed ad flagellandum, & iis ſemper ſervi cædebantur. Baſilic. lib. 31. tit. 1. cap. 3.

Εὰν ὁ δεσπότης λώροις, ἢ ῥάβδοις τυπτήσῃ τὸν ἴδιον οἰκέτην. id eſt, *Si dominus loris, aut virgis ſervum ſuum ceciderit*, verba ſunt etjam L. unicæ. C. *de emendatione ſervorum*. Quare in Comœdiis dicuntur *Lorarii*, id eſt: *Tortores*. Horatius lib. 1. epiſt. 16.

Nec furtum feci, nec fugi, ſi mihi dicat
Servus, habes pretium. Loris non ureris, ajo:

Et lib. 3. Carm. Ode. 5.

Qui lora reſtrictis lacertis
Senſit iners: timuitque mortem.

Cicero etjam Philippica 8. dixit: *Cædere loris.* Plautus jocoſè *lora* his verbis ſignificavit: *ubi vivos homines mortui incurſant boves.* Scen. 1. Aſinariæ. Hoc eſt, ubi lora bubula, ex pellibus bubulis facta impetunt vivos homines, id eſt; *ſervos*, cùm verberantur. Neque adverſatur hæc interpretatio

Vulgatæ

Vulgatæ verſioni: quæ duo ſignificat in his verbis *adſtrinxiſſet loris*. Nimirum fuiſſe ligatum Paulum à Tribuno, ut inferiùs dicitur *num.* 29. καὶ ὅτι ἦν αὐτὸν δεδεκώς, *quia alligaſſet eum*, & id flagellandi illius cauſâ. Quod ſi ita verba D. Lucæ intelligantur, aptius negotio de quo agitur erit. Cùm enim Divus Paulus peti loris ſe videret, ut Centurionem ab incepto deterreret dixit: *Si hominem Romanum, & indemnatum licet vobis flagellare?* Liberi homines, etſi tenuioris fortunæ, apud Romanos cædebantur fuſtibus; ſervi verò flagellis. Macer Iureconſultus in L. *In ſervorum.* 10. π. de Pœnis. *In ſeruorum*, inquit, *perſona ita obſervabatur, ut exemplo humiliorũ puniantur: & ex quibus cauſis liber fuſtibus cæditur, ex his ſervus flagellis cædi, & Domino reddi jubetur*. Quod etjam ſentire videtur IC. Calliſtratus in L. *Capitalium.* 28. §. *Non omnes.* ejuſdem tituli. *Non omnes*, ait, *fuſtibus cædi ſolent; ſed hi dumtaxat qui liberi ſunt, & quidem tenuiores homines.* Dixit autem Macer *exemplo humiliorum*, & Calliſtratus *tenuiores homines.* Fortè quia Lex Porcia de *Jure Civitatis* quam tulit. M. Porcius Cato Tribunus Plebis Valerio Apulejo Conſſ. anno ab V. C. CCCC. LIV. virgas removit à Romano cive; honeſtiori tamen. Quod cautum *Principalibus reſcriptis* teſtatur idem Calliſtratus illis verbis: *Honeſtiores verò fuſtibus non ſubjiciuntur, idq;* PRIN-

CIPALIBVS RESCRIPTIS *ſpecialiter exprimitur.* Et longè ante Porciam Valerius Publicola legem tulerat de non verberando cive Romano *Valerius Maximus lib. 4. cap. 1. de animi moderatione.* de quarum Porciæ & Valeriæ legum differentia. *Livius lib. 10. decad. 1.* Ea re Ioſephus de *bello Judaico lib 2. cap. 14.* in fin. Quaſi pro monſtro habitum refert Cæſtium Florum auſum eſſe viros Equeſtris ordinis pro tribunali flagellis cædere, ac patibulis affigere. *Horum enim*, inquit, *etſi origo Judæa; tamen Romana erat dignitas.* Hæc juſta querela PAVLI Lucem his afferet Terentius *Adelph. Act 1. Scen. 2.* ubi Sannio loris cædi, quia liber, ducebat nefas.

—— Ae. ante adeis non feciſſe, erit
melius hic convitium:
Nam ſi moleſtus pergis eſſe, jam intro
abripere, atque ibi
uſque ad necem operire loris. S. loris
liber? Ae. Sic erit. &c.

Scitè Auſonius Pædianus in argumento Cornelianæ his verbis: *Cùm quendam civem Metellus ſervum eſſe contendens vi arripuiſſet, ac verberibus affeciſſet, Curio aſſertorem ei comparavit, deinde cùm appareret eum exitum illius judicii futurum, ut liber is judicaretur, quem Metellus verberibus affectum eſſe negare non poterat, inter Metellum, & Curionem facta pactio eſt, ut neque arbitrium de li-*

bertate urgerer in Metellum Curio, neque Metellus præſtaret in accuſatione Curionis. Hinc *Servilia verbera.* apud eundem Calliſtratum in L. *In metallum.* 12. π. de jure fiſci, ſunt *flagra, lora.* verba autem I. C. hæc: *In metallum damnatis libertas adimitur; cùm etjam verberibus ſervilibus coërcerentur.* Clarè id Vlpianus in L. *ſed & quæſtionis.* 9. §. *ſi atrocem.* π. de injuriis. *Si atrocem,* ait, *injuriam ſervus fecerit, ſi quidem dominus præſens ſit, poteſt agi de eo; quod ſi adfuerit Præſidi offerendus eſt, qui eum flagris rumpat.* & in L. *Item apud Labeonem.* 15. §. *Adjicit.* 38. eodem tit. ubi obiter nota verbum *rumpendi*, ea notione à Iureconſulto uſurpatum, qua abſolutè à Martiali lib. 3. Epig. 13.

Accuſas, rumpiſq; coquum, tanquam omnia cruda
Attulerit. nunquam ſic ego crudis ero.

Denique addo Claudianum in 4. Honorii Conſulatu

——Famuluſq; jugo laxatus herili
Ducitur: & grato remeat ſecurior ictu.
Triſtis conditio pulſata fronte recedit
In civem rubuêre genæ, tergoq; removit
Verbera, promiſſi felix injuria voti.

& Aurelium Prudentium in *Enchiridio*, tetraſticho cui affixus titulus: *Domus Caïphæ*, ubi hanc conſuetudinem ſcribit obſervatam, cúm D. N. flagellaretur.

-- atque

——— *atque columnæ* (ait)
Annexus, tergum dedit, ut ſervile, flagellis.
Latè id, qui libros de Cruce ſcripſêre.

Qua hora Dominus CHRISTVS *cruci affixus.*
Παρασκευῆ.

CAPVT XXXVIII.

HOra ſexta Dominum CHRISTVM cruci affixum multi ſunt, qui aſſerãt. Sed hora tertia ante horam quartam cruci affixum probare intendam; & dum in cruce penderet ab hora ſexta incœpiſſe tenebras uſque ad horam nonam. Hoc totum ex narratione Evangeliſtarum ſic planum facere coner.

Divus Marcus cap. 15. ait ſummo manè conveniſſe Summos Sacerdotes cum Senioribus, & Scribis, tradidiſſeque illum vinctum Pilato, qui aliquibus argumentis ultrò citroque habitis, tradidit illum illis flagellatum, ut crucifigeretur: Et cùm crucifixiſſent eum, diviſerunt veſtimenta ejus, mittentes ſortem ſuper ea, quis tolleret quid. Et ſubdit Evangeliſta num. 25. *Erat autem hora tertia, & crucifixerunt eum.* Inferius autem poſtquam dixit quomodo fuerit illuſus in cruce ab illis, qui præteribant, à ſummis Sacerdotibus, à Scribis, ab ipſis denique latronibus; ſubdit nu. 33.

Et facta hora ſexta tenebræ factæ ſunt ſuper terram uſque ad horam nonam: & hora nona exclamavit. Hic locus Divi Marci non poteſt eſſe ſuſpectus an ſit viciatus vel illis, qui ſacrum textum emendare tentant; quoniam diſertè atque diſtinctè horæ tertiæ, atque ſextæ fit enarratio. Videamus alios Evangeliſtas.

Divus Matthæus idem dicit: nam cap. 27. narrat veniſſe ad Pilatum Sacerdotes, & Seniores: tandem Pilatum abluiſſe manus, flagellatumq́ue CHRISTVM tradidiſſe Iudæis crucifigendum. Pendenti autem in cruce datum eſt acetum cum felle. Fit illuſio à Sacerdotibus, Scribis, Latronibus. Tunc Evangeliſta ſubjungit num. 45. *A ſexta autem hora tenebræ factæ ſunt ſuper univerſam terram uſque ad horam nonam. & circa horam nonam clamavit.* &c.

Divus Lucas eodem ordine cap. 23 Manè veniſſe multitudinem ad Pilatum: Pilatum ſecundum eos dediſſe ſententiam, enimverò judicaſſe fieri petitionem illorum. Et poſtquam venerunt in locum Calvariæ crucifixerunt eum. Et pendens in cruce oravit pro perſequentibus. Dividuntur interim ejus veſtimenta: illuditur à Principibus, à militibus, à latrone, datur fel, &c. tunc dicit Evangeliſta nu. 44. *Erat autem ferè hora ſexta, & tenebræ factæ ſunt in univerſam terram, uſque in horam nonam.* Vides tres Evangeliſtas

convenire

convenire CHRISTVM non crucifixum fuiſſe horâ ſextâ, ſed poſt aliquot horas, quàm crucifixus eſt, horâ ſextâ tandem veniſſe tenebras.

Malè quidem ſe expediunt ab hac quæſtione per illam particulam *Ferè* D. Lucæ. dicentes horam tertiam ferè conjungi horæ ſextæ. Parùm enim intereſſe ajunt cùm quis dicat: *vine aqui à las doçe, ò caſi à la una.* Fateor; nam hæ horæ conjunguntur & nihil medium eſt; ſed tertia & ſexta non eodem modo cohærent. Sunt enim mediæ quarta, & quinta. Nec alia ratio fuit numerandi horas apud Iudæos, quàm apud Romanos; quod, quia dubium non eſt, & jam diximus de his cap. 23. prætermitto. Quid? quòd Græca verba propter illud tempus, quod Ariſtoteles vocat *Paralelythoton*, de quo in cap. 29. ſignificant non inter horam tertiam, & ſextam CHRISTVM cruci affixum: ſed ipſa hora tertia. Divi Marci verba ſunt cap. 15. num. 25 ἦν δὲ ὥρα τρίτη, καὶ ἐσταύρωσαν αὐτὸν Hiſpanè: *Era la hora terçia, i, avianle ya crucificado.* Latinè: *Erat hora tertia, & jam cruci affixerant eum.* id eſt, in ipſa hora tertia. Quod planius redditur ex eo; nam dictio ὡσεὶ, nihil aliud ſignificat quàm *circiter. Plus minúſve.* Cùm autem Divus Marcus dicat facta jam hora ſexta tenebras terræ offuſas; & Divus Matthæus ab hora ſexta: intelligendum eſt Divum Lucam ſcripſiſſe illis verbis, inſtante ſigno horæ ſextæ tranſactæ paulò pòſt eam omnia

in tenebris ruiſſe: vel eſt ſciendum Hebraiſmum ineſſe voculationi ὡσεὶ: nam in Hebraiſmo tam dubitanter, quàm affirmanter accipitur expreſſa per litteram ſervilem CAPH. CAPH enim aut ἀποφηπικὸν, ſive ϛοχαϛικὸν vocatur Grammaticorum idiomate; aut ἀληθινὸν. quo tunc utuntur cùm ita rem affirmant, ut de ea dubitari non poſsit. Cujuſmodi eſt in iſto loco Divi Lucæ. Ex his cavendum ab iis (parce Cæſar ſcriptorum ſumme; ſed dormitans, neque enim aliàs abs te provocatio) qui ideo quòd Divus Lucas adjunxerat τὸ *ferè* horæ ſextæ, cùm tamen D. D. Marcus & Matthæus aſſeverent hora ſexta ſine diſtinctione ulla, dicunt: *Evangeliſtas in conſcribendis horis horologium non habuiſſe præ manibus, ut per ſua puncta ſingulas horas diſtribuere potuiſſent; ſed de horis ſcripſiſſe, quod tunc opinati eſſent.* Sic ne opinari potuit qui præeunte Spiritu ſancto verba profert? abſit. abſit.

1. tom. Annal. anno CHRISTI 34. pag. mihi. 193.

Solus Divus Ioannes, ut unde digreſsi ſumus revertamur, longè diſcrepare videtur à cœteris Evangeliſtis, qui cap. 19. num. 14. (ubi tertiam horam reliqui Evangeliſtæ agnoſcunt) ait: *Erat autẽ Paraſceve Paſchæ hora quaſi ſexta: & dicit* [Pilatus] *Iudæis: Ecce Rex veſter.* Cujus loci difficultas ita torſit aliquos noſtri, & præteriti ævi interpretes, ut eos coëgerit profiteri depravatam litteram incuriâ librariorum; & auſi ſint ſacroſanctam Bibliorum fidem communibus violare manibus, aſſeren-

aſſerentes ſcribarum peccatum inde fluxiſſe, quia Græci litteris Alphabeti ſcribebant numeros, & ternarium ſic notabant. Γ. ſenarium ſic. ϛ. figuris ſatis apud eos propinquis. Itaque cùm planiùs vellent ſcribere, exploſis notis *horam* tertiam pro ſexta per errorem litteris ſcripſerunt. Ego verò qui neminem debere affirmo, ut ſenſum eliciat, verba corrumpere

(Nobis non licet eſſe tam diſertis
Qui Muſas colimus ſeveriores)

Textus noſtri veram ſcripturam eſſe contendo, præeunte hac mea conjectura. Mitto tot magnorum virorum opiniones Maldonati ad D. Matthæi cap. 27. num. 47. Baroni ubi ſuprà. Franciſci Lucæ Brugenſis ad Divum Marcum cap. 15. n. 25. Joannis Buiſonii in Harmonia Evangelica, & aliorum; ſi enim huc congerenda eſſent tempus me deficeret. calleo diviſionem illam horarum, qua ajunt diem in quatuor ſtationes, ſeu quadrantes dividi, ad noctis inſtar, quæ in quatuor vigilias dividitur. Noviſsimè legi Auguſtinum Torniellum Novarienſem in *Sexta Mundi ætate. Anno. 638. ab orbe condito.* 4084. *à n.* 14. qui hanc inſiſtit viam, & ſic interpretatur Evangeliſtas in re tam ſacra, nempe paſsione Dominica ſcribenda, minimè uſos vulgaribus diei horis, ſed Eccleſiaſtis, & addit jam tunc quando tres Evangeliſtæ poſt Sanctum Matthæum Evangelicam Hiſtoriam conſcripſêre,

ſcripſêre, introductas in primitiva Eccleſia fuiſſe ſaltim quatuor horas, quas tunc *Canonicas* appellamus. videlicet *Tertiam, Sextam, Nonam,* & *Veſpertinam,* & *Matutinam* appellaſſe *Tertiam,* ex eo, quod tres priores *diei* vulgares horas complecteretur: quemadmodum *Veſpertina* tres poſtremas. Iis inſuper adjeciſſe duas alias medias, nempe *Sextam*, & *Nonam*. Fateor libenter:

—— *mens altum ſpirat honorem.*

Igitur Nonnum Poëtam Græcum antiquum propono, qui carmine exaravit Divi Ioannis Evangelium; & qui in ipſo carmine, ubi error non admittitur, propter ſyllabarum quantitatem, horam tertiam bellè ſic deſcribit.

Ἦν δὲ τιταινομένη τριτάτη θανατήφορος ὥρη
Καὶ Πιλάτος ταχυεργὸς ἐπ' εὐλαΐγγι θοώκῳ
Ἑβραίοις ἐβόησεν, ἴδε σχεδὸν ἵσταται ἀνήρ. &c.

id eſt:

Erat autem extenſa tertia mortifera hora
Et Pilatus celeriter agens in confecta ex bonis lapidibus ſede
Hebræis magna voce dixit. Ecce propè ſtat homo, &c.

Vides ut ſecundas agat Nonnus? Deinde ſciendum eſt, ut ſibimet conſtet Evangeliſtarum teſtimonium, diem civilem Iudaicum à ſole occaſo ordiri, finirique ad ſequentis ſolis occaſum. Qui dies aliud etjam principium habebat ab oblatione ſcilicet

licet veſpertina; cujus intervallum & ſolis occaſus vocabatur ἑσπέρω *veſpera dua.* idque enumerabatur, non ut alii autumant à ſole occiduo in Horizonte naturali incubante uſque ad ſolem occidentem in Horizonte apparenti: ſed à nona hora diei uſque ad occaſum ſolis. Primum patet ex eo, quòd Horizon naturalis centrum terræ diſſecat, & cœlum in duas æquales dividit partes: Horizon verò apparens terræ tangit ſuperficiem, & à naturali diſtat 1011. leucis. Id leucarum ſpatium, quod eſt ſemidiametrum terræ, ſol in cœlo primi mobilis motu luſtrat per ſpatium ſextæ partis minuti unius horæ: nam per integram unam horam 365224 leucas peragrat, & ſpatio unius minuti. 6087. unde medium tempus inter ſolem occidentem in Horizonte apparenti, & in Horizonte naturali στιγμὴ χρόνου appellari non erit abſurdum: in cujus anguſtiis ſacrificium, & cœna nec fieri nec apparari poterat. Reſtat ſecundum. videlicet oblationem ab alia incœpiſſe hora, & ἀπὸ ἐνάτης ὥρας duxiſſe initiũ docet nos Ioſephus non uno in loco, ſcribit enim his verbis: ἀθροιζομένου τοῦ λαοῦ πρὸς τὴν τῶν ἀζύμων ἑορτὴν, ὀγδόη δὲ ἦν Ξανθικοῦ μηνὸς, κατὰ νυκτὸς ἐνάτην ὥραν. id eſt, *Congregato populo ad Azymorum diem feſtum; octava autem erat Aprilis menſis ſecundum horam nonam.* Et alibi: ἐνστάσης ἑορτῆς, πάσχα καλεῖται, καθ᾽ ἣν θύουσι μὲν ἀπὸ ἐνάτης ὥρας, μέχρι ἑνδεκάτης. &c. *Inſtituto die feſto, Paſcha vocatur, in quo quidem*

dem ſacrificant à nona hora uſque ad undecimam. Cujus ſacrificii finis Ioſepho eſt in undecima hora, quia ea circiter eſt ſolem occaſum. Intervallum illud, quod erat inter oblationem, & ſolis occaſum in diebus ſolemnia proximè antecedentibus; pridiè ſabbati παρασκευὴ vocabatur, quia in eo ad vivendum ſeptimo die ædulia coquebantur, & apparabantur ex lege Exodi cap. 16. num. 23. *Requies ſabbati ſanctificata eſt Domino cras: quodcumque operandum eſt, facite, & quæ coquenda ſunt, coquite: Quidquid autem reliquum fuerit reponite uſque in mane.* Et num. 29. *Videte quod Dominus dederit vobis ſabbatum, & propter hoc tribuit vobis cibos duplices.* Inibat, inquam, παρασκευὴ propriè à nona hora. Clarè id idem Ioſephus libr. 16. Antiquit. Iudaic. cap. 10. qui inter privilegia Iudæis à Cæſare conceſſa enumerat, ne ſcilicet cogerentur ad præſtanda vadimonia ſabbatis, aut pridiè ſabbatorum in παρασκευὴ, quæ ab hora nona. Verba ſunt: ἐγγύας τε μὴ ὁμολογεῖν αὐτοὺς ἐν τοῖς σάββασιν, ἢ τῇ πρὸ ταύτης παρασκευῇ, ἀπὸ ὥρας ἐνάτης. id eſt: *Sponſioneſque non ſpondere ipſos in ſabbatis, vel ante in Paraſceve, ab hora nona.* Divus item Auguſtinus in tractat. 120. ad cap. 19. Divus Ioannis tom. 9. ubi explicans illa verba: *Ibi ergo propter Paraſceven Judæorum, quia juxta erat monumentum poſuerunt.* ſic inquit: *Acceleratam vult intelligi ſepulturam, ne adveſperaſceret,*

ret, quando jam propter Paraſceven, quam COENAM PVRAM *Judæi Latinè uſitatiùs apud nos vocant, facere tale aliquid non licebat.* quibus ſatis innuit PARASCEVEN propriè dici tempus, quod adveſperationem inter, & ſolem occaſum medium eſt. Quod etjam COENAE PVRAE impendebatur. *Acceleratam* igitur *ſepulturam* dixit; quia nona hora inſtabat, quæ PARASCEVES & PVRAE COENAE prima erat. Ad rem vetus Gloſſarium Latino-Arabicum. PARASCEVE. *Cœna pura. id eſt, præparatio, quæ fit pro ſabbato.* Vides PARASCEVEN, & PVRAM COENAM idem eſſe: de paraſceve Divus Marcus capit, 15. numer. 42. *Et cùm jam ſerò eſſet factum (quia erat Paraſceve, quod eſt ante ſabbatum)* Dominus namque noſter hora nona expiravit quæ παρασκευῆς prima: unde Divus Ioannes ſtatim ac narravit ſpiritum emiſiſſe ſubjunxit numer. 31. *Ergo Judæi, ut non remanerent in cruce corpora ſabbato, quoniam Paraſceve erat,* &c. Denique ait Divus Ioannes. *Erat autem Paraſceve Paſchæ hora quaſi ſexta.* id eſt, erat hora fermè tertia diei, à qua tertia hora numeratione deducta, paulò pòſt ſextam horam paraſceve Paſchæ erat, dicunt nonnulli locutum ita Divum Ioannem, non quòd Paſcha paraſceven haberet; ſed ut intelligeremus diem ſequentem à morte Domini & ſabbathum fuiſſe,

quod Paraſceven habebat, & Paſcha; quia eam ipſam paraſceven, Paraſceven Paſchæ nominavit. Eo namque anno Paſcha Iudæorum in ſabbatum incurrerat. Sed minimè probatur eorum opinio; Nam Evangeliſta πρὸς διαστολὴν dixit παρασκευὴν τοῦ πάσχα. Nam παρασκευὴ eſt genus, cujus ſpecies προσάββατον, καὶ προεόρτιον. unde παρασκευὴ τοῦ σαββάτου, ſive προεόρτιον dicitur πρὸς διαστολὴν, quòd ſint aliæ paraſceves, quæ à feſtis ſuis appellationem ſortiantur, ut παρασκευὴ τῶν ἑβδομάδων, προεόρτων τῆς πεντηκοστῆς. Alioqui καταχρηστικῶς vel ἰδιωτικῶς tota dies Veneris dicitur παρασκευή. ut in *Coronâ pretioſâ*. παρασκευὴ. *Dies Veneris*. & occurrit paſſim apud Syneſium *in epiſtolis*. Marcum Patriarchā *Quaſt. Canon*. Balſamonem, Codinum, Nicetam, & alios. A tertia itaque diei hora uſque ad primam Paraſceves, quæ eſt diei nona, ſex intercalares horæ (*Sexta* enim *hora*, non diei horam ſignificat; ſed ſummam horarum, quæ ſunt tertiam horam diei inter, & Paraſceven Paſchæ, quibus ſex horis additis ſuper tertiam; diei nona & Paraſceves prima occurrebat. Eiſdem verò demtis: tertia diei, & intervallum ſex horarum ad paraſceven uſque occurrebat.

Ex his conſtat Divum Ioannem, ut reliquos Evangeliſtas ſenſiſſe D. N. fuiſſe in ligno ſuſpenſum tertia diei hora. Nam morti adjudicatum à Pilato refert, & Iudæis ad crucifigendum eſſe traditum

ditum ab eodem, hora quaſi ſexta ante Paraſceven; id eſt: hora ferè tertia diei. Cujus iniqui judicis ſententiam, Iudæi ſitientes ſanguinem Chriſti, curarunt exequendam illicò.

Ad meam hanc conjecturam ne dicam veram ſolutionem mihi viã velut digito ad fontes intenſo demonſtravit. D. Auguſtinus de *conſenſu Evangeliſtarum lib. 3. c. 13. tom. 4.* ubi dicit ſextam horam non diei, ſed paraſceves eſſe, id eſt, præparationis immolationis Domini, quod verum eſt Paſcha. Sed media ad inducendam fidem neſcio quomodo minus aliquanto ſubtiliſsimis Maldonati rationibus correſpondere videantur: cùm firma ut ſint, & majoris & evidentioris roboris fortè παρασκευῆς, non παρασκευὴ in Evangelio habebat legendum.

¶ In ſumma poſt horam tertiam Dominus Crucifixus. A ſexta verò uſque ad nonam tenebræ factæ ſuper terram. Liceat mihi in præſentia Divi Auguſtini uſurpare verba; meam ut opinionem ſaltim ſtabilire videar; & eo me modo gerere, quo & ipſe ſuos edocet Auguſtinus, dum hujus Quæſtionis exitus plures ab aliis inveniri exoptat: Non enim ſententiam ſuam, ſed Evangeliis diligendam veritatem ait.

Sedere ad dextram. dextra pro auxilio. Martialis intellectus. Locus Virgilii explanatus. tegere latus. Cadent à latere tuo mille. *De partibus mundi dextris & ſiniſtris.*

CAPVT XXXIX.

MAgna ſemper fuit & à viris doctis agitata quæſtio, utrum ſiniſtræ partes dextris eſſent honoratiores, inter quos Nebriſſenſis agit primas in *Quinquagena* cap. 39. & ex eo Chaſſaneus in *Catalogo gloriæ mundi*. 3. par. in ſecunda conſideratione. noviſsimè autem Bochius ad *Pſalm.* 109. Explicantes illud: *Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis.* & illud 3. Reg. cap. 2. num. 19. *Venit ergo Bethſabee ad Regem Salomonem, ut loqueretur ei pro Adonia.* & paucis interjectis; *quæ ſedit ad dextram ejus.* Item Pſalm. 44. nu. 10. *Adſtitit Regina à dextris.* Quorum opinionibus omiſsis meam ſententiam apponam. Regibus fuit in more, ut eos ad dexteram ſuam ſinerent ſedere, quibus maximum & eximium velint habere honorem: ſed ipſi reges ſedent in regio throno, & ſemper altiores illo, quem honoratum velint. Innuunt apertè verba illa dicti cap. 2. Reg. 3. *& ſurrexit Rex in occurſum ejus,* [Bethſabee] *adoravitque eam:*

eam: & ſedit ſuper thronum ſuum. Poſituſq́ eſt thronus matri Regis, quæ ſedit ad dextram ejus. Itaque in domo regia locus dexter honoratior cœteris, excepto regio, ſemper habetur. Longè alia res eſſet, ſi ambo in uno eodemq́ue ſubſellio ſederent, tunc enim dexter eſſet honoratior. Sed cur dices in eodem Pſalmo 107. dicitur: *Dominus à dextris tuis confregit*. Hæc alia res eſt, nec quicquam ad honorem: imò ſemper in auxilio pręſtando dicitur aliquis adeſſe ad dextram. & quod magis eſt ipſa dextra pro auxilio ponitur. Martialis lib. 11. Ep. 70. de cane Lydia.

Amphitheatrales inter nutrita magiſtros
Venatrix ſylvis aſpera, blanda domi.
Lydia dicebar domino fœdiſſima dextra,
Qui non Erigones mallet habere canem.

dextra fidiſſima dixit; quia hero ad latus in auxilio erat. Nec id novum, cùm etjam Valerius Maximus lib. 9. cap. 13. §. 2. in *externis*, referat de Maſſaniſſa rege parùm fidei in pectoribus hominum reponente ſalutem ſuam cuſtodia canum vallaſſe. & Plinius li. 8. c. 40. ſcripſit: regem Garamantûm ab exilio reduxiſſe canes ducētos prœliantes cōtra reſiſtentes, & canum cohortos habuiſſe Colophonios & Caſtabalēſes, ſubjungitq́ue: *Hæc erant fidiſſima auxilia, nec ſtipendiorum indigna.* Adducit inſuper teſtimonia Nebriſſ. in quibus *tegere latus, claudere latus, cingere latus*, ſit eorum, qui ſatellites,

ſtipatores

ſtipatores, laterones, ſive latrones, potentium dicerentur. Quid inde? An propterea efficietur ut dextra vel ſiniſtra ſit honoratior? Is præterea, qui alium comitabatur dicebatur *ire exterior*. Fateor; At Servius exponit *exterior*, pro *ſiniſterior*. Fallitur Servius, ſi id uſquam dicit; ſed locum Servii non invenies. Nec Virgilius Æneid. 5. ver. 170.

—*radit iter lævum interior*

(ubi Servium requirunt)

quicquam ad rem de qua agimus ſpectat. Nam Gyas cùm deberet circuire ſcopulum ſuper lævam manum, declinavit ad dextram: tunc Cloanthus inter ſcopulum, & navem Gyæ ſe interſeruit lævus, & interior: & ſic palmam arripuit. Quid ſi cùm dicimus abſolutè (*tegere latus*: de ſiniſtro latere ſit intelligendum? nam id videtur ſignificare Pſalm. 90. num. 7. *Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis*: ubi Genebrardus, *à ſiniſtra parte & latere: nam de deteriore nomen generis dicitur*. Horatius lib. 1. Epiſt. 6. ſervum nomenclatorem à parte ſiniſtra domini conſtituit admonentem

Mercemur ſervum, qui dictet nomina, lævum
Qui fodiat latus —

reliqua de dextris & ſiniſtris mundi partibus, quæ citat Nebriſſenſis, quoniam longè aliter ſe habent, ac ille putavit, pro appendice lucem accipient ſic.

Quæ

¶ Quæ ſint partes mundi dextræ & ſiniſtræ docti nonnulli variè quæſiverunt: Nam ſi ſacræ ſcripturæ aliquos locos excutias, videbis à ſacris litteris multos autores antiquos diſſentire. Sunt enim qui dextras mundi partes Orientem, ſunt qui Occidentem faciant: alij Septentrionem, aut meridiem. Sed eum nodum facilè diſſolves, ſi advertas cum Cleomede antiquam Mundi partem dici Occidentem, quòd in Occidentem fiat motus. Hunc motum ſemper intuentur Poëtæ. unde illis Aquilo dexter eſt, ſiniſter Auſter. Ovid. 1. Metam. verſ. 45.

utq́ue duæ dextra cœlum totidemq́ue ſiniſtra
Parte ſecant zonæ, quinta eſt ardentior illis.

Virgil. 1 Georg. de eiſdem zonis ver. 235.

Quàm circum-extremæ dextrâ lævaq́ue trahuntur
Cærulea glacie concretæ, atque imbribus atræ.

Lucanus 3. Pharſal.

Ignotum vobis Arabes veniſtis in orbem:
umbras mirati nemorum non ire ſiniſtras.

Idem Ovid. 2. Metamorph. de Phaëtonte à ſole admonito

——neu dexterior tortum declinet ad anguē:
Néve ſiniſterior preſſum rota ducat ad Aram.

Anguis enim inter urſas Septentrionis in modum fluvii defluit: *Ara* verò ad meridiem ſita. Empedocles (fortaſſe quia Poëta egregius) ſolſtitium

dextras nominavit, Brumam *ſiniſtram* teſte Plutarcho lib. 2. cap. 10. de *placitis Philoſophorum* his verbis: Ἐμπεδοκλῆς δεξιὰ μὲν τὰ κατὰ τὸν θερινὸν τροπικὸν, ἀριστερὰ δὲ τὰ κατὰ τὸν χειμερινόν. Brumali tempore ſol convertitur ad Meridiem: ęſtivo autem ad Septentrionem: & ideo *dextra* vocat Empedocles, quæ ſunt ad circulum converſionis æſtivæ ſolis; *ſiniſtra*, quæ ad hybernum. Aſtronomi, quia longiſsimos ſtellarum curſus contemplari ſemper ſolent, Meridianam plagam ob oculos habeant neceſſe eſt. Horum igitur *dextra* Oriens eſt, *ſiniſtra* Occidēs. Contrà omninò Geographi & Coſmographi, quia faciem ad Septentrionem convertunt cum Ptolemæo, qui hanc corporis poſitionem obſervat in ſua tabula univerſali, & in cœteris, ut meridianos circulos ad Civitatum intervalla ab ipſo Polo ducant, Occidentem *dextras*, Orientem *ſiniſtras* indigitare videntur: Ariſt. d. lib. 2. *Cœli*, cap. 2. motum mundi à *dextris* eſſe dixit, hominem utique conſiderans ſupinum, cujus vertex in antarticas partes dirigeretur, pedes verò in Boreales, cui conſonat Plutarc. lib. 2 cap. 10. de *placitis*, cùm ait: Πυθαγόρας, Πλάτων, Ἀριστοτέλης δεξιὰ τοῦ κόσμου τὰ ἀνατολικὰ μέρη, ἀφ' ὧν ἀρχὴ κινήσεως. ἀριστερὰ δὲ τὰ δυτικά. *Pythagoras, Plato, & Ariſtoteles dextras Mundi Orientales dixère partes, à quibus initium motus; ſiniſtras, quæ ad occaſum.* Habes quid Poëtæ, quid Aſtronomi, quid Coſmographi, & Philoſophi de

dextris

dextris & *ſiniſtris* ſentiant. In ſacra ſcriptura *dextra* pro Meridie, *ſiniſtra* pro Septentrione ponitur. Iob cap. 23. num. 7. *Si ad Orientem*, inquit, *iero, non apparet: ſi ad Occidentem non intelligam eum. Si ad ſiniſtram, quid agam? non apprehendam eum: ſi me vertam ad dextram non videbo illum*. Pagninus vertit: *Si ad Aquilonem quando operatur ipſe, & non videbo; abſcondet ſe in Meridie & non videbo*. Ad quem locum Ioannes de Pineda accuratè & doctè. Accipe nunc de auguribus. Varro lib. 6. de Lingua Latina. *Ejus templi partes quatuor: ſiniſtra ab Oriente; dextra ab Occaſu. Antica ad Meridiem, Poſtica ad Septentrionem*. Hæc ille: Hetruſci in ſexdecim partes coelum dividebant. Quarum octo Orientales *ſiniſtras* vocabant: *dextras* verò Occidentales. Romanis quidem *ſiniſtræ* partes erant melioris augurii; Græcis *dextræ*. Cicero de *Divinat.* lib. 2. *Ad noſtri*, inquit, *conſuetudinem dixit Ennius:*

Quum tonuit lævum bene tempeſtate ſerena.

At Homericus Ajax apud Achillem querens de ferocitate Trojanorum neſcio quid hoc modo nunciat.

Proſpera Jupiter his dextris fulgoribus edit

Ita nobis ſiniſtra, Grajis & Barbaris dextra meliora: Quanquam non ignoro, quæ bona ſint, ſiniſtra nos dicere; etiamſi dextra ſint. Sed certè noſtri

ſiniſtrum nominavère, externiq́ dextrum: quia dextrum plerumque meliùs videbatur. Idem 1. De Divinatione.

Partibus intonuit cœli Pater, ipſe ſiniſtris.

Et paulò inferiùs:

Et ſimul ex alto longè pulcherrima præpes
Læva volavit avis, ſimul aureus exoritur ſol.

Plautus in Epidic.

-- Habete animum bonum liquido ex eo foras
Auſpicio, avi ſiniſtra.

Feſtus Pompejus *Siniſtræ aves,* inquit, *ſiniſtrumq́ & ſiniſtrum auſpicium, id eſt, quod ſinat fieri. Varro lib. 5. Epiſtolic. Quæſtionum ait: à Deorum ſede quum in meridiem ſpectes, ad ſiniſtram ſunt partes mundi exorientes, ad dextram Occidentes: factum arbitror, ut ſiniſtra meliora auſpicia, quàm dextra eſſe exiſtimentur. Idem ferè ſentiunt Cinnius Capito, & Cincius:* Plautus tamen in Aulular. Græco more; vel vulgari, non augurali, dicendi modo, ſignificavit malum augurium. *Non temerè eſt,* (ait Eucho) *quòd corvus mihi cãtat nunc ab læva manu.* unde interprete Nonio Marcello *obſcævare* eſt quaſi malum omen adferre. Plautus in Aſinar.

Metuo quid illic obſcœvavit mea falſa fallacia.

Id à manu ſcœva, quæ ſiniſtrâ. Arnobius lib. 1. *Si ut in bellis accipiatur vulnus, ego dicor afferre Fortunam: cur duelles cùm pereunt lævum augurium non ſum: neque adverſus ſpes bonas mali ominis*

nis obſcenitate (lege *obſcavitate*) *traducor*. Perſius teſtatur idem Satyr.4. verſ. 27.

—— dîs iratis, genioq́ ſiniſtro.

unde intelligendus Virgilius Eclog.1. verſu (ſi tamen verſus Virgilii eſt.)

Sæpe ſiniſtra cava prædixit ab ilice cornix.

Siniſtra cornix, id eſt, quæ ratum augurium facit, ſi à ſiniſtris. Corvus, referente Cicerone, à ſiniſtra non facit ratum: ſed cornix à ſiniſtra, facit ratum; & quia cornix erat mali ominis; quippe quæ infelicitatem portendebat. Plinius lib. 10. cap.12. *ipſa ales eſt inauſpicatæ garrulitatis*. Acutè tranſtulit noſter Garſyas Laſſus, qui Hiſpano idiomate ambiguè in hanc ſententiam loquitur ..... Ecloga 1. ſub perſona Salicii his verbis:

Bien claro con ſu voz melo decia
La ſinieſtra corneja, repitiendo
La deſventura mia.
Salid ſin duelo lagrimas corriendo:

Idem Virgil. Eclog.9. num.15.

Ante ſiniſtra cavâ monuiſſet ab ilice cornix.

Rurſum Titus Livius lib.1. augurem ita collocat, ut dextram ad Meridiem verteret, & ad Oriẽtem ſpectaret. Sed non credo omnium augurum hoc perpetuum fuiſſe. Imò verò hac in re mihi placet Ariſtotelis ſententia lib.2.cap.2.de *Cælo*, Qui augures reſpectu ſui ipſorum *dextrum*, & *ſiniſtrum* vocare contendit. Arnobius tamen, cujus verba

pro coronide libenter addens, ridens tot antiquorum opiniones de *dextris* & *ſiniſtris* mundi partibus, ait lib. 4. ſecundùm noſtri corporis poſitionem quemlibet orbis cardinem *dextrum* vel *ſiniſtrum* eſſe: anticum, vel poſticum. Ejus verba ſunt ſtatim in principio: *Jam primùm ipſe mundus per ſe ſibi neque dextras, neque lævas, neque ſuperas regiones, neque imas, neque anticas habet. Quicquid enim teres eſt, atque ex omni parte rotunditatis ſolida convexione concluſum, nullum habere cenſetur initium, nullum finem: ubi finis & initium nullum eſt, eſſe aliqua portio ſui nominis & initium non poteſt. Itaque cùm dicimus: Hæc regio eſt, & illa læva; non ad mundi habitum dicimus, qui ſui ſimillimus totus eſt; ſed ad poſitionem noſtram ſitumq́ revocamus, qui informati ſic ſumus, ut alia dextra, alia in nos dicantur eſſe læva. Quæ tamen hæc ipſa quæ lævа appellamus, & dextera alia in nobis nihil habent perpetuum, nihil fixum; ſed prout nos caſus atque eventus collocaverit temporis, ita noſtris ſumunt ab lateribus figurationes*, &c.

Quid

Quid Cophinus? is & fœnum Judæorum ſupellex. Calathus. DVD. manus ejus in cophino ſervierunt. *Ciſtiferus. D. Matthæus explicatus.* & tulerunt reliquias duodecim cophinos fragmentorum plenos.

CAPVT XL.

DIu cogitavi, & anxiùs hæſi, utrùm ex Hiſtoria aliquid lucis verba Evangeliſtarum accipere poſſent, ubi agunt de duodecim cophinis fragmentorum plenis, ex quinque panibus hordeaceis, quæ viros quinquies mille, exceptis mulieribus, & parvulis, ſatiati ſuperfuerunt, illo in loco deſerto trans mare Galilææ. Et tenebris offuſis facem prælucere videor ſubitò accenſam more Iudæorum tali. Iudæi vilioris fortunæ, & egeſtate oppreſsi, fœnum, & cophinum pro ſupellectili habebant. Illud, quia Iudæa fœniferax. Evangeliſtæ pro me. Divus Matthæus cap. 14. nu. 19. καὶ κελεύσας τοὺς ὄχλους ἀνακλιθῆναι ἐπὶ τοὺς χόρτους. *Et cùm juſsiſſet turbam diſcumbere ſuper fœnum.* D. Marcus cap. 6. num. 39. καὶ ἐπέταξεν αὐτοὺς ἀνακλῖναι πάντας συμπόσια ἐπὶ τῷ χλωρῷ χόρτῳ. *Præcepit*, ait interpres, *ut accumbere facerent omnes ſecundùm contubernia ſuper viride fœnum*: Et Flavius Ioſephus de bello Iudaico li. 7. c. 5 nonnullos equites Romanos narrat ad ligna, & fœnum colligendum exiiſſe: & c. 7. Iudæos

Iudæos ſame adactos victui habuiſſe coria ſcutis detracta, cingulos, & fœni veteris laceramenta. Vel in pignus genti erat, ut memoriam Edicti Pharaonis refricarent, quo fuit cautum ad conficiendos lateres ipſos debere paleas colligere, fœnum, ac ſtipulas: quod ut facerent & obtemperarent mandatis totus Iudæorum populus in terram Ægyptii diſperſus fuit, ut invenies ſcriptum Exod.cap.5.num.7.uſque ad 12. Cophinos autem ſecum geſtabant, ut rebus tranſportandis mercenarii inſervirent; vel fortè ex ſuperſtitione Iudaica, ſic Beroaldus ad Suetonium; nam Moſem expoſitum à matre in ripa Nilotica, incluſum vimineo cophino, ſive fiſcella ſcirpea fuiſſe, & ſublatum à Pharaonis filia rerum ſacrarum annales evolventibus patet Exod. cap. 2. & ex Ioſepho lib. 2. Antiq. cap.5. Cophini,& fœni meminit Iuvenal.Satyr.3. verſu 13.

Nunc ſacri fontis nemus, & delubra locantur
Judæis, quorum cophinus fœnumq́ ſupellex.

Et Satyr. 6. verſu 542.

Cùm dedit ille locum cophino, fœnoq́ relicto
Arcanam Judæa tremens mendicat in aurem
Interpres legum Solymarũ, & magna Sacerdos
Arboris, ac ſummi fida internuncia cœli.

Cophinus autem vas erat viminibus contextum. Agnoſcit id vulgatus Interpres; nam ubi in Hebræo legit. DVD. modò vertit *Cophinum*, ut Pſal. 80.

80.num.7.modò *Calathum*, ut Ierem.cap.24.n.2. Calathus namque eſt, quoddam genus caniſtri floribus ſervandis aptum. Apud Poëtas id paſsim obvium. Ovidius lib. 14. Metamorph.

——Sparſoſq; ſine ordine flores
Secernant calathis.

Prudentius περὶ ςεφανῶν. hymno 3.

Floribus ut cumulet calathos.

Divus Hieronymus ad Halvinam. *Roſarum, & Liliorum calathos.* Igitur Iudæi Cophinos ad quaſcumque res adſportandas ferebant ſecum. Quæ omnia brevi ac eleganti oratione elucidavit, & luci dabit Sidonius Apollinaris lib. 7. epiſt. 7. *Ordinis* [inquit] *res eſt, ut dum in hac allegorica verſamur Aegypto, Pharao incedat cum diademate, Iſraël cum cophino.* Hoc igitur erat inſigne ſervitutis ejus Gentis, cùm in Ægypto ſervirent; tunc enim purgamenta Vrbium cogebantur in cophinis exportare: adeò ut pro ipſa ſervitute cophinus uſurpetur, ut Pſal. 80. *Manus ejus in cophino ſervierunt.* Nicolaus Lyranus teſtatur idem cùm ait, ad dictum Pſalm. Iudæos pro id temporis, quo ab Ægyptiis duro præmebantur famulatu coactos fuiſſe exportare in cophinos fæces, & ſtercora, de Civitatibus Ægyptiorum. Ex his intelliges acumen Epigrammatarii Poëtæ, lib. 5. epig. 17. ubi exagitat Gelliam quandam vaniſsimam feminam, inſultans ei, quòd cùm generis ſui originem

ad nobiliſsimos quoſque referret; & ſe niſi Senatori negaret nupturam; tandem abjectiſsimo & viliſsimo Iudæo nupſit:

Dum te,[inquit]*poſſe negas niſi lato, Gellia, clavo*
Nubere; nupſiſti, Gellia, Ciſtifero.

Ciſtiferum, vocat Iudæum: quæ interpretatio probari videtur Domitio Calderino Vetus ad Martialem Commentatori, *Gelliam*, ait, *nupſiſſe, vel ditiſsimo Iudæo, vel pauperi mercenario.* De his itaque cophinis Divus Matthæus cap. 14. num. 20. & reliqui Evangeliſtæ; quippe qui allati ab ipſis Iudæis Servatorem noſtrum inſequentibus.

Veſpere Sabbati videre ſepulcrum. Sabbatum illuſcecebat. *Iudæi accendebant lucernas in principio noctis ſabbathi. Feſtum lucernarum apud Aegyptios, luminibus & cereis Populi Imperatorum laureatas imagines excipiebant.* Λαβεράτν. Λαυεράτν Lauratum. *L.* 1. C. Publicæ Lætitiæ portatores & *Lux, & medicina.* Orto jam Sole. Dies, quam fecit Dominus.

CAPVT XLI.

IN ſacroſancta reſurrectione D. N. quædam ita obſcurè leguntur in Evangeliſtarum interpretibus, ut viros ſanctiſsimos & doctiſsimos turbarint.

rint. Cùm enim quatuor Evangeliſtæ dicant ſummo manè mulieres ſurrexiſſe, ut viderent ſepulcrum, & ungerent Dominum; ſolus Marcus dicit ſummo diluculo veniſſe ad monumentum. Audivi aliquando ſummi nominis virum, qui facilè hunc nodum diſſolveret: ſurrexiſſe quidem illas valdè manè; ſed veniſſe ad ſepulcrum orto jam ſole; & fortè id ex Dionyſio Alexandrino ad Baſilidem, qui noſtri ævi interpretum familiam ducit. Scripſit enim: *Profectio quidem & iter earum ſummo diluculo, & valde manè incepit: in itinere autem, & circa monumentum moram traxerunt uſque ad ortum ſolis*. Mihi autem, qui ſciam non ita longè diſtare ſepulcrum ab Hieroſolymis, (ait namque Divus Ioannes cap. 19. nu. 20. propè Civitatem fuiſſe locum, ubi Chriſtus crucifixus; & num. 41. *Erat autem in loco ubi crucifixus eſt, hortus; & in horto monumentum novum*) non placet ſolutio. Quare huic nodo alius quærendus eſt cuneus. Verba Evangeliſtarum diſtinguenda crediderim: nam cùm alii dicunt *Videre ſepulcrum*, non intelligo veniſſe eas ad ungendum IESVM; ſed veniſſe, ut contemplarentur, ubi eſſet poſitus, & quomodo: ut poſtea venirent ad ungendum. Clarè Divus Matthæus, qui cap. 28. num. 1. ſcribit: veniſſe Mariam Magdalenam, & alteram Mariam videre ſepulcrum. Græcè legitur: θεωρῆσαι τὸν τάφον. id eſt, *contemplari, metari, perſpicere ſepul-*

 crum.

crum. Nec illæ hoc fecerunt die Dominico manè; *ſed veſperè ſabbati, quæ luceſcit in prima ſabbati,* id eſt, in ſabbato veſperi. Sic enim loquebantur Iudæi, cùm volebant ſignificare initium alicujus diei ſequentis. Et quod nos dicimus Hiſpanè. *Eſta tarde es viſpera de Paſcua.* dicebant illi: *jam luceſcit Paſcha.* Ita Divus Lucas cap. 23. num. 54. *Et dies erat Paraſceves, & ſabbatum illuceſcebat.* Hiſpanè: *Era viernes en la tarde, quando amaneçia el ſabado.* Qui numerandi mos indè fluxit, quia præceptum erat Levit. cap. 23. nu. 32. *A veſpera, uſque ad veſperam celebrabitis ſabbata veſtra.* vel ſi mavis, *Sabbathum illuceſcebat*, id eſt, propter lucernas, quas accendebant Iudæi in principio noctis ſabbathi; cujus diem lucernarum colebant lumine. Seneca Epiſt. 105 quæ incipit: *Petis à me,* ubi uſque ad ſua tempora illum morem invaluiſſe teſtatur, Etjam Romæ, his verbis: *accendere aliquem lumen ſabbathis prohibeamus, quoniam nec lumine Dii egent, nec homines delectantur fuligine.* Perſius Satyr. 5. verſu 180.

Herodis venère dies, unctaq; feneſtra,
Diſpoſitæ pinguem nebulam vomuère lucernæ.

Sanè ritus Hebræorum cum Romanis permixti poſtquam Pompejus illos in ditionem, Romani Populi redegit. Conqueritur Rutilius Claudius lib. 1. Itinerarii.

Atque

Atque utinam nunquam Iudæa ſubacta fuiſſet
Pompeii bellis, imperioq́ue Titi.
Latiùs exciſæ peſtis contagia ſerpunt,
Victoreſq́ue ſuos natio victa premit.

Accenſio namque lucernarum ſignum lætitiæ, & apud Ægyptios lucernarum accenſarum feſtum leges in *Herodoti Halicarnaſſ. lib.*2. & hodie idem ſervatum à Chriſtianis in protectis majorib. Vide Bedam de *locis ſanctis* cap.7. Ex his, cùm Imperatorum imagines laureatæ Provinciis inferrentur, obviam iis Populus cum cereis & incenſis. Optatus docet. *Lauratis*, inquit, *& iconibus, quæ mittuntur ad Civitates vel Regiones obvii adeunt Populi cum cereis & incenſis, non cerâ perfuſam tabulam, ſed Imperatores honorantes*, de Lauratis Imaginibus extat Gratiani Valentiniani, & Theodoſi reſcriptum in *L.* 1. *C. Publicæ lætitiæ portatores*, &c. lib.12. *Quidquid noſtrorum nunciari cœpit proſperorum, ut bella ſi deſinunt, ſi oriuntur victoriæ faſtis* (hactenus mendoſè legebatur, *ſi oriuntur victoriæ faſtus*) *ſi honor datus fuerit regalium trabearum, vel conſolum*, (ſic luxata corrigo) *compoſitæve pacis erit offerenda tranquillitas, ſi ſacros vultus inhiantibus fortè populis inferimus, hoc ſine immodico pretio nunciari, excipiq́ue ſancimus*. Græci hujuſmodi Imperatoris Triumphatoris laureati imaginem Λαβοράτον, ſive λαυράτον vocabāt. *Baſilic. Eclog. li.*56.*tit.*65.de *Præmiis nuntiatæ lætitiæ*. εἴτε εἰρήνην

γινομένην πρὸς τοὺς πολεμίους εἴτε λαβεράτου καταγγέλλοιω. id, eſt, *ſive pacem cum hoſtibus compoſitam, ſive Lauratũ nuntient.* cujus vocis Λαβεράτου ignorationem fatetur ingenuè Leunclajus dũ eam ſine interpretatione reliquit. *Gregorius Dialogus in ep.* 1. *ad Leonem Iſaurum:* διὰ, *inquit,* τοῦτο καὶ τὰ Λαυρᾶτα σου κατεδέξαντο, καθὼς πρέπει βασιλέας τιμᾶν. & paucis interjectis τότε ῥίψαντες τὰ λαυρᾶτά σου κατεπάτησαν, καὶ ἀνασκαφὴν τῶν προσώπων σου ἐποιήσαντο. Sed ut è diverticulo in viam redeamus: illa mulierum itio non fuit in die reſurrectionis. Colligitur ex D. Marco cap. 15. num. 47. *Maria autem,* inquit, *Magdalene, & Maria Joſeph adſpiciebant ubi poneretur.* Græcè ἐθεώρουν. *contemplabantur.* & ex D. Luca cap. 23. num. 55. *Subſequutæ autem mulieres, quæ cum eo venerant de Galilæa, viderunt monumentum, & quemadmodum poſitum erat corpus ejus.* Græcè ἐθεάσαντο. *Miraron. ſpectarunt.* Sequitur: *Et revertentes paraverunt aromata, & unguenta; & ſabbato quidem ſiluerunt ſecundùm mandatum.* Nec adverſatur huic interpretationi, quòd aliqui dixerunt textum ita explicatum ſibimet contrarium reddi, ex eo quod ſtatim ac Evangeliſta retulit mulieres veniſſe ad monumentum; ſcripſit etjam factum terræ motum: quia Divus Matthæus omiſit ea quæ contigêre per id tempus, quo mulieres ad ſepulcrum videndum egreſſæ, & in medias res non ſecus ac notas, teſtimoniis ſcilicet reliquo-

rum

rum Evangeliſtarum illuſtratas, rapuit lectores, ac continuò narrat mulierum itionem ad corpus Domini Noſtri ungendum. Ergo ſecundò venerunt die Dominica ſummo diluculo, id enim eſt, quod ſcripſit Divus Lucas cap. 24. num. 1. *una autem ſabbati valdè diluculo venerunt ad monumentum portantes quæ paraverant aromata.* & Divus Marcus cap. 16. num. 2. *& valdè manè una ſabbatorum.* & D. Ioannes cap. 20. num. 1. *una autem ſabbati* [id eſt, prima ſabbatorum] *Maria Magdalene venit manè, cùm adhuc tenebræ eſſent ad monumentum.* Ex quibus verbis ſatis ſuperque apparet, tenebras fuiſſe (tenebras; non profundas, quales ſunt in crepuſculo albeſcente Aurora) cùm mulieres ad monumentum pervenerunt. At hæc videntur repugnare Divi Marci verbis ejuſdem cap. 16. *Et valde manè una ſabbatorum veniunt ad monumentum orto jam ſole.* Hoc opus, hic labor eſt. Quid alii dicant non eſt meum: unuſquiſque, ut ajunt, abundat in ſenſu ſuo. Mihi conſonum videtur, ut Evangeliſta Malachiæ verba cap. 4. Completa nobis voluerit ſignificare. Nam mihi non eſt dubium, quin Malachias in illo loco de reſurrectione, & de triumpho agat, ſic enim ait: num. 2. *Et orietur vobis timentibus nomen meum, ſol juſtitiæ. Et ſanitas in pennis ejus, & egrediemini, & ſalietis, ſicut vituli de armento; & calcabitis impios cùm fuerint cinis ſub planta pedum veſtrorum, in die,*

quæ

qua ego facie Dominus exercituum. & hinc fortè illud decantatiſsimum defluxit in die Reſurrectionis. *Hæc dies, quam fecit Dominus, exultemus, & lætemur in ea.* Licèt eam prædixiſſe, videtur Propheta Pſalm. 117. num. 24. ut ſcripſit Divus Ambroſius Epiſt. 39. ad *Horontianum*, & illinc verba, Eccleſiam uſurpaſſe. Chriſtum verò dici ſolem, ſolem Iuſtitiæ, notius eſt, quàm ut indicare oporteat. Et cùm regula ſit Divi Auguſtini, ut cùm aliquid poteſt in ſacra ſcriptura dici de Chriſto, & aliis, potiùs accommodandum eſſe Chriſto; non incommodè poſſet huc adduci illud Pſalm. 103. num. 19. *Sol cognovit occaſum ſuum.* ut de Chriſto dicatur; & illud: *Ortus eſt ſol, & congregati ſunt* [catuli leonum] *& in cubilibus ſuis collocabuntur.* id eſt, Apoſtoli, qui ſub necem Domini fuerant diſperſi. Itaque *orto jam ſole.* De Chriſto poteſt intelligi; nam ſequitur in Divo Marco num. 3 *& dicebant: Quis revolvet nobis lapidem.* Huc etjam pertinet illud ex Actis Apoſtolorum cap. 13. ubi dè Chriſti reſurrectione in illo Davidico. *Ego hodie genui te*; inquit Divus Lucas num. 33. *Et nos vobis annunciamus eam, quæ ad Patres noſtros repromiſſio facta eſt: quoniam hanc Deus adimplevit filiis noſtris reſuſcitans* Iesvm, *ſicut & in Pſalmo ſecundo ſcriptum eſt: Filius meus es tu. Ego hodie genui te.* Gignendi enim verbum reſurrectioni convenit optimè. *Nónne reſurrectio præexiſtentis eſt*

corporis

corporis ad vitam revocatio? unde appellatur in ſacra ſcriptura. *Regeneratio.* & à Divo Ambroſio ſerm.48. *Nativitas.* his verbis: *Et ſicut de utero ad prædicandum natus eſt:* [Dominus Chriſtus] *ita & nunc ad evangelizandum renatus eſt de ſepulcro; niſi quod glorioſior iſta eſt, quàm illa* NATIVITAS. Chriſtus etjam vocatur propter reſurrectionem *Primogenitus ex mortuis.* Coloſſ. cap. 1. num. 18. ut ipſemet Ambroſius interpretatur lib. 3. de *Sacramentis* cap. 1. *Oriri,* ergo, *ſolem* appoſitiſsimè de Chriſto reſurgente. Quod ſenſiſſe videtur Interlinearis cùm ſic explicat. *Orto jam ſole. Chriſto.* Et Scholiaſtes Hieronymianus ſecundas agit; & talem elicit ſenſum. Evangeliſtam ſcilicet tacitè increpare mulieres, quæ ſupervacaneo labore cogitabant de ungendo Domino, cujus ortus, ſolis ortum anteverterat.

Frangere panem. Quadrati panes. Quadra *quid? Heſiodus illuſtratus.* Aliena vivere quadra. *Virgilius emendatus.* Frangere panem *apud Hebræos.*

CAPVT XLII.

SVnt è Noſtris, qui multa ſcribant de fractione panis, quibus ego non repugno: imò ſecundanus dictata reddo, in multis enim ſacræ ſcripturæ

locis *Fractio panis.* diviſionem, atque ſacroſanctæ Euchariſtiæ porrectionem ſignificat; in aliis tamen abſque myſterio dictum aſſevero, & ex communi tantùm dicendi modo. Nam *Frangere panem* ſolebāt Antiqui dicere ex more ſolùm. *Frangendi* quidem verbum aptè dicebatur de pane antiquorum. Erant quippe panes magni; quibus antequam coquerentur ſigna quædam quadrata imprimebantur, in quæ ſecabantur poſtea. Quemamodum Romæ aut Lutetiæ animadvertas licet, primæ farinæ potiſsimum panem compingi; & olim apud Iudæos eam conſuetudinem viguiſſe, & Rabbino quodam Iudaicarum Antiquitatum perito docet *Baronius tom.* 1. *annal. anno Chriſti* 58. *pag. mihi* 545. Hæc ſegmenta vocata *Fruſtra*, & *Quadræ*. Virgilius in Moreto, ſive alius ſit illius Poëmatii Auctor.

—— *levi*, inquit, *tum protinus illam*
Componit tabula, tepidas ſuperingerit undas.
Contrahit admiſtos tum fontes, atque farinas,
Tranſverſat durata manu, liquidoq́ coactos
Interdum grumos ſpargit ſale, jamq́ ſubactum
Format opus, palmiſq́ ſuum dilatat in orbem.
Et notat impreſsis æquo diſcrimine quadris.

Dixit *æquo diſcrimine*, quòd panes in quatuor partes æquales dividere ſolerēt. Heſiodus lib. 2. ἔργων, ubi poſtquam edixit quot diſponenda aratra; qua ex materia; qua ętate boves etjam cōparandos, ait:

Τοῖς

Τοῖς δ' ἅμα τεσσαρακοντάς τὶς αἰζηὸς ἕποιτο
Ἄρτον δειπνεήσας τετράτρυφον, ὀκτάβλωμον.

id eſt:

Hos autem ſimul quadragenarius juvenis ſequatur,
Panem cœnatus quater ſculptum, octo morſuũ.

ubi Ioannes Tzetzes, τετράτρυφον] θηλάσματα ἔχοντα, σταυροειδῶς. id eſt, *quatuor partes habentem, inſtar crucis.* de ſuo ævo teſtatur Divus Gregorius in dialogis lib. I. cap. XI. his verbis: *dum quadam die fratres illius*[Martyrii monachi] *panem ſubcineritium feciſſent, eiq́; obliti eſſent ſignum imprimere, ſicut in hac provincia crudi panes ſigno ſignari ſolent, ut per quadras quatuor partiri videantur,* &c. & paulò pòſt: *Qui hoc dicens, ſignum crucis contra prunas fecit, quo ſignante protinus immenſum crepitum panis dedit, ac ſi ingens in ignibus olla crepuiſſet, qui dum coctus fuiſſet, poſtmodum ab igne ſubtractus, ea cruce ſignatus inventus eſt, quam non contactus; ſed fides fecit.* Crucem etjam in pane benedicto imprimi ſolitam docet Nicolaus Cabaſila in *expoſitione Liturgiæ cap.* V. his verbis: σταυρὸν ἐν τῷ ἄρτῳ χαράττει, καὶ οὕτω μηνύει, πῶς ἡ θυσία γέγονεν. ὅτι διὰ τοῦ σταυροῦ. Hujuſcemodi panis olim meminit Athenæus lib. Deipnoſoph. Ex quodam Philemone. Βλωμιλίους τε ἄρτους ὀνομάζεσθαι λεγει, τοὺς ἔχοντας ἐντομάς, οὓς Ῥωμαῖοι κοδράτους λέγουσι. id eſt: *Blomilios panes nominari dicit* [Philemon] *habentes inciſuras,*

quos Romani QVADRATOS *dicunt.* Βλωμὸς. Et panis fragmentum, & quadram ſignificat. Idem Tzetzes. Βλωμὸς γὰρ τὸ δῆγμα. unde in Gloſſ. *Quadra* τόπος lege τόμος. & alibi *Quadra.* Βρωμος vel Βλῶμος. Ab hac mente Seneca lib.4. de Benef. cap. 29. *Quis beneficium dicit quadram panis?* quam ſecum communicandam dividuo munere petit ille conſervus Horatianus lib. 1. Epiſt. 17. verſu 48.

——— Succinit alter
Et mihi dividuo fundetur munere quadra.

Hinc Adagium. *Aliena vivere quadra.* pro alieno ſumtu paſci. Iuvenalis Satyr. 5. ubi Trebatium avertit à vita Paraſitica. primis verſibus

Si te propoſiti nondum pudet, atque eadem eſt mens:
Vt bona ſumma putes aliena vivere quadra.

Quadra, id eſt: *Panis ſegmento,* & panis victum ſignificat, commune id: non autem per quadram ibi menſarium inſtrumentum intelligas, ut alii autumant; quod inſtrumentum dicunt, ex pane etjam fieri ſolitum, ducti à malè accepto Virgilii loco, lib. 7. Æneid. verſ. 114.

Et violare manu, maliſque audacibus orbem
Fatalis fruſtri, [ſic lege; non cruſtri.] *patulis nec parcere quadris.*

Hîc enim Virgilius vocis *Orbem,* ambiguitatem expreſsit bellè Trojanos tunc Iovis juſſu habuiſſe

buiſſe pro menſis adorea Liba: nam *orbis*, & menſa, & panis eſt. de menſa, notius id quàm ut exemplo indigeat: de pane extat ipſiuſmet Virgilii ſupra laudatum teſtimonium.

—palmiſq́ ſecum dilatat in ORBEM.

Quadras, verò dixit, *fatalis fruſti* per hendiadyn, id eſt, *fruſta quadrata.* Ait ergo Trojanos impoſuiſſe dapes integris ipſis libis, ut quadris ex eiſdem ſectis conjunxit & menſam & panem. Divus Gregorius Nazianzenus in Athanaſium gulonem & comeſſatorem voluptatibuſque omnia metientem carpens his verbis: τὰ μὲν πρῶτα τραπέζης ἀλλοτρίας δοῦλον καὶ μάζης ὤνιον πάντα καὶ ποιεῖς καὶ λέγεις ἐπὶ τῇ γαστρὶ μεμαθηκὸς. *alienæ menſæ ſervum, mazaq́ venalem: ventris gratia quidvis & facere & loqui edoctum.* Itaque pani aptè convenit verbum *Frangendi.* Sed quia *Frangere panem* non eſt adnotatum ab Onomaſticis, afferam exempla, quibus quæ dixi, confirmentur. Quint. Curtius libr. 4. *Apud Macedonas quoque cùm fortè panem quidam militum frangeret manantis ſanguinis guttas notaverunt.* Iuvenal. Satyr. 10. verſ. 200.

Frangendus miſero gingiva panis inermi.

& apud Prophetam Ierem. in Threnis. ca. 4. nu. 4. *Parvuli petierunt panem, & non erat, qui frangeret eis.* id eſt, qui frangendo impartiretur. Iſa. cap. 58. num. 7. *Frange eſurienti panem tuum.* quod idem

protulit Ezechiel cap.18.num.16.his verbis: *Dare panem eſurienti.* Item in Actis cap.27.ex conſuetudine dictum intellige illud: *Et cùm hæc dixiſſet* [Paulus] *ſumens panem gratias egit Deo in conſpectu omnium; & cùm fregiſſet cœpit manducare.* Græcé, καὶ κλάσαι, *& frangens.*

Non relinquetur hîc lapis ſuper lapidem.

CAPVT XLIII.

HÆc Prophetia Chriſti Domini de templo illo admirando Hieroſolymitano, quando completa fuerit non arbitror pervium eſſe cuilibet. At dices. Quis ignorat poſt crucem Domini quadrageſimo ſecundo anno ſub Imperatoribus Tito, & Veſpaſiano templum ipſum, atque adeò totam urbem Hieroſolyma funditus concidiſſe? verum eſt. Sed teſtem habeo Theodoritum Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ lib.3. cap. 20. poſt deſolatam urbem manſiſſe parietinas Templi, & Templi fundamenta cum parietum reliquiis multis. Sed inſtas adhuc. Non ſunt hæc ad vivum reſecanda; ſatis eſt Templum, & urbem concidiſſe, ut Prophetia vera permaneat. *Non relinquetur hîc lapis ſuper lapidem.* Nam illa verba graviſsimum caſum, graviſsimamque deſolationem portendunt. At ego potiùs dixerim Prophetiam cœptam impleri

pleri tempore Veſpaſiani; ſed alio tempore completam, quando verè etjam in Templi fundamentis lapis ſuper lapidem nullus fuit relictus. Hiſtoria ſic habet. Iulianus Imperator adeò Chriſti, & Chriſtianorum nomini infenſus fuit, ut Iudæorum cauſſam quacumque ope poſſet in Chriſtianorum odium ſuſtentaret. Rogat Iudæos cur non ſacrificent? cur non ſolitis utantur cæremoniis? Reſpondent: ſe Moyſis lege prohiberi extra Hieroſolymam, vel alibi quàm in Templo ipſo ſacrificare, victimas offerre. Tum Iulianus: In odium Chriſtianorum Templum magnificè vobis inſtaurabo, opes, divitias, operarios, cœteraque omnia copioſiſsimè ſuppeditabo. Conveniunt ex variis Provinciis Iudæi ad tantum opus inſtaurandum; nec ſolùm læti conveniunt, ſed etjam ob id alacres, quod tanto Imperatore ſuperbientes vindictam de Chriſtianis, qualem Romani de Iudæis talem ſe ſperabant ſumturos. Deſperatis rebus trepidant Chriſtiani; ſed ſollicitis multitudine miraculorum Deus adfuit: nam nocte una concuſſus eſt locus terræ motu tanto, ut lapides omnes, qui erant in templi fundamentis excuſſi ſint in altum, atque ita diſperſi, ut lapis ſuper lapidem nuſquam manſerit. Tum præterea domicilia operarum diſjecta ſunt, igniſque de cœlo corruit, qui omnia ferramenta, & inſtrumenta fabrorum, & operarum conſumſit. Iam Iudæi, & multi alii

Chriſtum

Chriſtum Deum confitebantur; ſed tamen in Iudaiſmo perſiſtebant. Et adhuc Iuliani juſſu iterum fundamenta Templi jacere conati ſunt: ſed ex ipſis fundamentis tantus ignis emicuit, ut multos combureret, & convectam calcem, & alia neceſſaria disjecerint. Tunc Iudæos maximus corripuit horror & tremor, ita ut ab incœpto deſiſtere cogerentur. Tunc de cœlo multa ſigna crucis ceciderunt, & omnium veſtibus ſunt impreſſa, atque ita ut nulla vi, nulloque modo è veſtibus ejus, aut deleri poſſent. Hæc latiùs proſequitur Socrates Scholaſticus *Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ* lib. 3. cap. 2. & Hermeas Sozomenus cap. ult. *ſuæ Hiſtoriæ.* & Nicephorus Caliſtus *Eccleſiaſt. Hiſtoriæ* lib. 10. cap. 32. & 33. Breviter hoc tetigit Ammianus Marcellinus lib. 23. his verbis: *Imperii ſui memoriam magnitudine operum geſtiens propagare, ambitioſum quondam apud Hieroſolymam Templum, quod poſt multa, & internecivæ certamina obſidente Veſpaſiano, poſteaq; Tito ægrè expugnatum eſt, inſtaurare ſumtibus cogitabat immodicis, negotiumq; maturandum Alypio dederat Antiochenſi, qui olim Britannias curaverat pro præfectis. Cùm itaque rei idem fortiter inſtaret Alypius, juvaretq; Provintiæ Rector, metuendi globi flammarum prope fundamenta crebris aſſultibus erumpentes fecere locum exuſtis aliquoties operantibus in-acceſſum, hocq; modo elemento deſtinatiùs repellente, ceſſavit incœptum.*

Divus

Divus Ambroſius epiſt. 29. ad Theodoſium Imperatorem. *Non audiſti*, inquit, *Imperator, quia cùm juſsiſſet Julianus reparari Templum Hieroſolymis, quod Divino, qui faciebant repagulum, igne flagrarunt?* Divus Chryſoſtomus *adverſus Judæos* orat. 2. ſuis temporibus, ait, & contigiſſe id quod Hiſtoriæ narrant; & bis ac ter aggreſſos Iudæos divinitus fuiſſe prohibitos. Divus Gregorius Nazianzenus Divi Hieronymi præceptor, *oratione 2. in Julianum*, hæc omnia præſcribens, Iudæos provocat, ut veſtes illas proferant, quæ ſigno crucis erant ſtellatæ.

Ira columbæ. Gladius columbæ. Sancta columba *apud Tibullum.* Noctuas Athenas.

CAPVT XLIV.

CVm ſit mitiſsimum animal Columba, mirum videri debet quid ſit in Sacris Litteris *Ira columbæ*, aut, *Gladius columbæ.* Ieremiæ cap. 25. num. 38. *Dereliquit quaſi leo umbraculum ſuum; quia facta eſt terra eorum in deſolationem à facie Iræ Columbæ, & à facie iræ furoris Domini.* Et cap. 46. num. 16. *Surge & revertamur ad Populum noſtrum, & ad terram nativitatis noſtræ à facie* GLADII COLVMBAE. Hæc ut radicitus intelligantur, altiùs ſemiramidis Hiſtoria, ſeu Fa-

bula repetenda eſt Nam *Semiramis*, Syria vox eſt, quæ agreſtem Columbam ſignificat. Derceto Nympha Veneris ſuaſu perſuaſa, ut quendam adoleſcentem amaret, pudore poſtea victa, & ſe in ſtagnum Aſcalonis Palæſtinæ Civitatis piſcibus plenum conjecit; & filiam ex eo partu editam in montibus, ubi plurimæ aves erant, exponendam tradidit. Ipſa in piſcem converſa, facie tantùm muliebri, ab Aſcalonitis pro Dea colebatur, qui ſemper ob eam rem piſcibus abſtinebant. Puella verò ab avibus educata, Semiramis vocata fuit, ut latiùs narrat Diodorus Siculus lib. 3. cap. 2. Hujus maritus Ninus *Ninam* urbem condidit incredibilis magnitudinis, quàm ſacræ litteræ *Niniven* vocant. Ipſa Semiramis Babylonem poſt Ninivem à Medis dirutam ſtruxit: teſte eodem Diodoro Siculo lib. 3. cap. 4. & Strabo lib. 16. falſò tamen. Non enim Semiramis Babylonem, ſed muros ædificavit, ut ſcripſit Caſsiodorus *lib. var. 7. form.* 15. & multa adducens doctè probat Don Ioannes de Fonſeca & Figueroa nobile juventutis Hiſpanæ decus; bono Reip. litterariæ, & perpetuo Muſarum honori natus, in libello illo, quo tela Muſamvercii in Laurentium Ramirezium veneno tincta, eruditè adverſus ipſum Marcilium detorquet. Igitur Semiramis poſt ingentia facta è veſtigio evanuit, ad Deos (ut credebatur) tranſlata. *Quidam* (inquit Latinè Diodorus Siculus lib. 3.

cap.

cap. 5.) *Fabulantur illam in columbam fuiſſe converſam. Compluribus enim avibus domum ingreſſis, & illam cum reliquis avolaſſe volunt. Quo factum eſt ut Syrii columbam, ut Deam colant, immortalem reginam arbitrati.* Hæc ille. Porrò Babylonis inſigne columba erant, hanc in labaris, in vexillis, in publicis domibus effingebant. Itaque *columba* pro Babylone, cujus erat inſigne, accipitur. Nefas erat apud Babilonios occidere columbam, velut apud Athenienſes noctuam; quia Minervæ ſacra erat. Ergo res ſacra habebatur, præcipuè Palæſtinis. unde Tibullus lib. 1. Eleg. 7.

Quid referam ut volitet crebras intacta per urbes
Alba Palæſtino ſancta columba Syro?

Quo in loco aliqui legendum putant *ſuo*, pro *Syro*. Neque enim (inquiunt) dicimus *Celta Gallus*, aut *Romanus Italus*. Ego autem *Syro Palæſtino* probo: Nam Syria (Pomponio Mela, & aliis teſtibus) in multas Provincias dividitur, ut Phœniciam. Adiabenen, Sophonem, Babyloniam, Cœlera, Meſopotamiam, Palæſtinam, &c. de tranſformatione Dercetûs, & Semiramidis filiæ. Ovidius li. 4. Metamorph.

Cogitat, & dubia eſt de te Babylonia narret
Derceti, quã verſa ſquamis velantibus artus
Stagna Palæſtini credunt coluiſſe figura:

An magis ut ſumtis illius filia pennis
Extremos altus in turribus egerit annos.

Crediderim hanc fabulam inde originem habuiſſe, quod columbis nulla fertilior terra, quàm Babylonia fuerit. Quod indicat Oſee Propheta cap. 11. num. 11. *& avolabunt*, inquit, *quaſi avis de Aegypto, & quaſi columba de terra Aſſyriorum.* Eodem namque modo Athenienſes noctuam colebant; quòd magna vis frequentaret Athenas unde Proverbium: *Noctuas Athenas*: ſub portas. Quamvis alii deducant ex eo, quod in numis noctuæ, quæ Minervæ erant ſacræ, cudebantur Athenis, ut videbis in quodam numo argenteo, quem apud me inter alios ſervo, & depictum tibi exhibeo.



Ninive,

Ninive, Jonas, Hercules in ventre Ceti. Andromedæ fabula D Hieronymus defenſus à calumnia Laurentii Vallæ. Atura. Aſſur. Tharſis.

CAPVT XLV.

QVæ fuerit Ninive, ad quam cetus Ionam detulerit, à multis video dubitari. Ego non duto quin ad fluvium Tigrin ſita, ſed multis difficilè de Ionæ navigatione per triduum in ventre ceti. Id ſi fieri poteſt explicemus. *Ninive*, ſeu *Ninus*, Aſſyriæ fuit opulentiſsima urbs, juxta Tigrin fluvium. Ptolemæus vocat *Ninum*. Item Strabo, verba ejus ſunt in principio libri 16. οἱ δ' ἱστοροῦντες τὴν σύρων ἀρχὴν, ὅταν φῶσι Μήδους μὲν ὑπὸ Περσῶν καταλυθῆναι. σύρους δ' ὑπὸ μήδων οὐκ ἄλλους τινὰς τοὺς σύρους λέγουσιν ἀλλὰ τοὺς ἐι βαβυλῶνι, καὶ νίνῳ κατεσκευασμένους τὸ βασίλειον. ὧν ὁ μὲν νῖνος ὁ τὴν νῖνον ἐν τῇ ἀτουρείᾳ κτίσας. ἡ δὲ τούτου γυνὴ ἥπερ καὶ διεδέξατο τὸν ἄνδρα Σεμίραμις ἧς ἐστι πτίσμα, ἡ βαβυλών, id eſt, *Qui de Syrorum imperio ſcribunt, cùm Medos à Perſis everſos dicunt, Syros autem à Medis, nullos alios Syros intelligunt, quàm eos, qui Babylonæ, ac Nini regiam conſtituêre. quarum alteram, Ninum ſcilicet: Ninus in Aturia condidit; cujus uxor Semiramis, quæ & in regno ſucceßit, Babylonem condidit.* Diodorus

 Siculus

Siculus libr. 3. capit. 4. *Ninam* vocat. Pagninus in lib. *interpretationum Hæbraïcarum* docet ex Hebræo legendum *Ninve*. Sed contrà ſtat Ioſephus Hebræus, qui *Niniven* legit. Porrò Ionas Propheta miſſus eſt Niniven ad prædicandum: Nahum verò Propheta Ninives ſubverſionem & interitum prædixit, cap. 2. num. 6. *Portæ*, inquit, *fluviorum apertæ ſunt, & templum ad ſolum, dirutum, & miles captivus abductus eſt.* & paulò inferiùs Num. 8. *Ninive quaſi piſcina aquarum aquæ ejus.* His verbis Ioſephus lib. 9. *antiquitatum Judaïcarum* cap. XI. interpretatur perturbandam eſſe Niniven inſtar piſcinæ aquæ, quæ ventis agitatur, nec conſiſtere, aut quieſcere poteſt. Sed verba Prophetæ proprius videntur ſignificare: Niniven in vaſtiſsimam paludem redigendam, & aquis ſuis obruendam, ac deſerendam à civibus, quos, aquarum inſtar, aperto quà defluant exitu, fugæ ſemel deditos clamor & hortatio nec ſiſtere nec compeſcere valeat. *Aquis*, inquam, *ſuis*, hoc enim ſonant Hebraica verba MEME. & LXX. docent: *καὶ Νινευὴ ὡς κολυμβήθρα ὕδατος τὰ ὕδατα αὐτῆς.* Nam Ninive ſolùm ita humens ſortita fuit, ut non altè defoſſa terra, aquæ quacumque erumperent. Iuxta ripas Tigris, ut dixi, ſita, & in campis Atruriæ, Lycum fluvium medium accipientis. Quæ ne ab Euphratis aquis inundaretur magnis molibus, & opere verè regio arcebatur. Elicies omnia

omnia ex Herodoto, Strabone, Suida, & Plinio. Abydenus etjam in librum 8. Euſebii de *Præparatione Evangelica*: *Belus*, inquit, *Regionem ſiccaſſe perhibetur, & Babyloniam condidiſſe*. ut inde ſit conjicere regionis illius tractum humentibus aquis, atque adeò paludibus & rivis affectum. Sacræ verò litteræ Geneſ. cap. 10. num. 8. de Ninive atque Babylone loquuntur. *Chus genuit Nemrod. ipſe cœpit eſſe potens in terra*. & num. 10. *Fuit autem principium ejus Babylon & Arach, & Achad & Chalanne in terra Sennaar. De terra illa egreſſus eſt Aſſur, & ædificavit Niniven, & plateas civitatis & Chalē*. *Aſſur* vocāt ſacra Biblia (quem Strabo *Ninum*) qui deſcivit à Nemrod, & ædificavit Ninivem multò majorem & fortiorem Babylone. Imperium autem Ninives, ac Babylonis unum atque idem Aſſyriorum fuit. Theodoretus in hanc ſententiam ad cap. 2. Danielis inquiens: *Primum itaque omnium fuiſſe Aſſyriorum aſſerit imperium, quod idem eſt ac Babyloniorum. Aſſyrii enim hi & illi. Sed Chus in Nino, quæ apud Hebræos Ninive vocatur, aliàs in Babylone regiam obtinuêre*. Præterea quod Græci ſcriptores dicunt Ninivem in Arturiæ campis eſſe, non multùm abhorret à ſacris litteris. Nam *Atura* Chaldæis idem eſt, quod *Aſſur* Hebræis; commutatione ש *ſin*, & ת *thau*, quod in iis linguis ſit frequentiſsimum. Habes de Ninive ubi ſit, & qualis. Nunc verò diſ-

quiramus

quiramus quò Ionam detulit cetus, & evomuit illum. Quæſtio ſanè difficilis propter tot interpretum opiniones varié inter ſe diſceptantium. Facilis tamen ſi Prophetæ verba rimemur occulatiùs. Ab hoc negotio ſibi videntur alii ſe expedire, cùm in mari mediterraneo *Tharſim* ponant, & Carthaginem interpretentur. Inter quos Theodoretus & Theophylactus. Et placet Vatablo. Ioſephus Ionam in Tharſim Ciliciæ urbem deferri voluiſſe dicit lib. 9. *Antiq.* cap. 11. in eodem mari deglutitum à ceto, & per Heleſpontum & Propontidem in Euxinum mare, inde in Ninivem perveniſſe. Ego Prophetæ verbis inhærens quod verò ſimilius ſit conabor aperire. Ninive ad Orientem, reſpectu Ioppe, ſita eſt. Ionas Deum fugiens in Occidentem tendebat; nec fugiebat Deum propheta, qui ſciret optimè Deum eſſe ubique; ſed quia ſciebat à prædicatione & converſione Gentium Hebræi populi ruinam incipere, amore patriæ commotus contrarium & multopere diverſum iter arripere tentabat. Itaque pervenit Ioppen, quæ dicitur *jaffa*, ut in Tharſis navigaret. Sit ſanè nunc Tharſis Carthago. alii mare ipſum interpretantur. noviſsimè Tarteſſum noſter Ioannes de Pineda. In hoc mare tempeſtate orta Ionas devoratur à ceto, & per illum trium dierum ſpatium, detinetur in ventre ceti; non longè ab illa maris parte in qua cetus ejectum eum hiatu excepit

pit magno. Id enim docemur ex ſacri textus ſubjuncta narratione. Nam illo nomine *Aridæ*, nullo certo maris littore deſignato, quid aliud ſignificare divina ſcriptura voluit, quàm locum commodum, ubi cetus incolumem & ſalvum evomeret Ionam; & aridam non multum diſsitam à mari, in quo deglutitus fuit Propheta. unde Niniven ſe contulit, quo præcepto divino obtemperaret. Verba Ionæ cap. 2. num. 1. ſunt: *Et paravit Dominus piſcem grandem, ut deglutiret Jonam, & erat Jonas in ventre piſcis, tribus diebus & tribus noctibus.* num. ult. *& dixit Dominus piſci. & evomuit Jonam in aridam.* Sic patet ſenſus, concinna redditur littera; nec illa de Ponto Euxino, quæ Ioſephus. de Ninivitarum littore, quæ ſeverus Sulpitius. de mari Rubro, quæ noſter Ioannes de Pineda, libenter cogimur excogitare. Si enim ita ſe haberent, eſſent (mihi videtur) digna quę inſererẽtur ſacro textui: ſed, extra hos, quos ſuo ordine veneratos habeo, dum alii vel nimium ingenioſi videri volunt; & ſe, ac lectores longis parergis torquent. Alii verò difficultatis laqueos declinantes obmuteſcere affectant, & dicere muſant. Mihi autem aliter præcordia ficta ſunt, quàm ut ſilentium, vel potiùs ἀυζωπίαν horum laudem, vel illorum ſpecioſam orationem amplectar. Itaque ſimpliciùs & ingenuè ſententiam meam aperire placuit paratus quoties de meliori indicatũ in eam pedibus manibuſq; ire.

Tu lector æqui bonique conſule.

Ex hac hiſtoria fluxiſſe videtur quod de Hercule, qui tribus noctibus in ventre ceti verſatus eſt, ut fabuloſè narrant non ſolùm Poëtæ, ſed & magni nominis viri referunt. (multa ut dixi cap. 26. leguntur in antiquis Poëtis, quæ à ſacris litteris originem, corruptè tamen, deduxerunt) Sunt inter alios, qui hoc ſcribunt Theophilactus in hiſtoria Ionæ, atque Iſaacius Zezes, cùm quærit: cur Lycophron Herculem vocaverit τριέσπερον λεόντα, id eſt, *trinocturnum leonem?* Ex cujus commentario hæc pauca Latinè ſubjiciam. *Cùm Apollo & Neptunus è cœlo exultantes Laomedontis muros Trojanos pacta mercede ædificaſſent, Neptunus iratus Laomedonti, quod non ſibi, quemadmodum Apollini, intra præſcriptum tempus ſacrificia eſſent inſtituta; Cetum peſtiferum, quod totam regionem mare immodico exundato vaſtaret immiſit. Conſulto verò de hujuſmodi oraculo, coactus eſt Laomedon filiam Heſionem regio more ornatam beſtiæ marinæ, quaſi pro prandio, mandendam exponere. Adventante autem id temporis Hercule, pactus eſt cum eo Laomedon, ſi Heſionem liberaſſet immortales equos ſe ei daturum, quos ob Ganymedis fratris raptum à Jove præmium acceperat. Pugnaturus igitur Hercules contra cetum juxta maris aquas, tumulum aggeſtum, veluti murum applicans, in oſtio aggeris operiebatur armatus. Accedens verò cetus integrum hominem*

hiatu

hiatu improbo devoravit. Manſit autem in ventre ceti tres dies: unde poſtea prodiit integer & illæſus; niſi quod ob nimium cetarii ventris calorem cæſariem non retulit integram. Non reddente tamen Laomedonte mercedem pactam, occiditur Laomedon, & Heſione cum Priamo captivi ſunt abducti. Dedit & hiſtoria Ionæ, Perſei & Andromedæ à Perſeo liberatæ occaſionem fabulæ. Nam de eadem civitate Ioppe, ſic loquitur Pomponius Mela lib.1 cap 11. *Eſt Ioppe ante diluvium, ut ferunt, condita: ubi Cephea regnaſſe eo ſigno accolæ affirmant, quòd titulum ejus fratriſq́ Phinei veteres quædam aræ cum religione plurima retinent. Quin etjam rei celebratæ carminibus, ac fabulis; ſervatæq́ à Perſeo Andromedæ clarum veſtigium belluæ marinæ oſſa immania oſtentant.* Hinc ſubit pro Divo Hieronymo contra Laurentium Vallam lib. 5. cap. 6. *nimirum*, inquit, de Hieronymo, *oblitus hiſtoriæ eſt, ut ſuper Ionam fabulæ. ubi ait ex Ioppe Iudææ portu Andromedam à Perſeo liberatam, in quo eorum manifeſtus eſt error, qui cùm legunt:* Ionas ſurrexit ut fugeret in Tharſis, & venit Ioppen; *opinantur hanc eſſe Andromedæ urbem, cùm ſit in India civitas Tharſis, unde illa fuit: ut ipſe quoque Hieronymus meminit. Ovidius libr. 1. de arte amandi.*

Andromeden Perſeus nigris portavit ab Indis.

E Sapho ad Phaonem.

 Candida

Candida ſi non ſum, placuit Cepheja Perſeo
Andromede patriæ nigra colore ſuæ.

Hactenus Laurentius. Qui longè fallitur, dum carpendi aviditate ſibi temperare non poteſt. Andromedæ patriam eſſe Ioppen, Strabo, Plinius, Solinus, & ante hos Pomponius, ut ſuprà dixi, fatentur. Illud autem Ovidii

——*nigris portavit ab indis.*

Hyperbolicè dictum eſt: quaſi dicat à ſemotiſsimis terris, haud aliter atque noſtris ipſis temporibus disjectas longè à noſtro Climate regiones deſignare ſolemus (adhuc inter loquendum) *Indiarum* nomine. licet jam velut

Contractæ naves æquora ſentiant.

Hiſpanæ.

Nec etjam obſtabit ſi *fuſcam* vocet *Andromeden.* Ioppenſes enim, ſicut & Ægyptii, à quibus non longè aberrant, fuſci erant.

Nemo aſcendit in cœlum. Tu es magiſter in Iſraël. In hoc. ἐν τούτῳ.

CAPVT XLVI.

SÆpe dixi nonnulla ex alia linguâ verſa, etjamſi melius verti nequeant, percipi propriè & radicitus cognitione linguæ illius ex qua ſunt tranſlata. Nec ideò vertimus in dubium ſitne rectè ſa-

cra

cra ſcriptura reddita Latinè (nihil me herclè fidelius, nihil rectius tranſlatione vulgata:) ſed an melius intelligatur ſine aliarum linguarum cognitione propono. Ariſtoteles ad *Nicomachum lib.6.cap.* 11. cùm agit de γνώμη, & συμγνώμη, nec poteſt verti Latinè; nec quod verſum à multis eſt, poteſt intelligi. Multa ſunt ejuſdem Ariſtotelis multis in partibus, ſed præcipuè in elenchis, & in figuris Rhetoricis, quæ, etjam ſi tranſlata ſunt, nullo pacto intelligentur, niſi à Græcè ſcientibus. Controverſiæ genus, quod Græci vocant ἄποζον Latinè non nimis incommodè inexplicabile dici poſſe ſcripſit A. Gellius lib. 9. *noct. Attic.* cap. 15. & tempus me deficeret ſi vellem exempla cumulare. Nunc verò ex ſacris bibliis adducamus alia. In Evangelio Divi Ioannis cap. 3. num. 13. optimè tranſlatum eſt, *& nemo aſcendit in cœlum, niſi qui deſcendit de cœlo, filius hominis, qui eſt in cœlo.* Sed nihil omninò magis eſt intempeſtivum, quàm ſi vellem in medium producere, quæ à multis magni etjam nominis viris ſuper his verbis audivi. In Græco tamen ſententia eſt plana, & facilis: nam illud *aſcendit,* præteriti temporis eſt. ἀναϐέϐηκεν. hoc ſenſu: Ne credas, ô Nicodeme, illis, qui tibi philoſophantur de rebus cœleſtibus: nemo enim adhuc ſubit cœlum, aut in cœlum avolavit. id eſt, cœleſtia callet, niſi qui loquitur tecum: qui venit de cœlo, & nunc eſt in cœlo. Dixerat autem nu. 11. *Amen amen dico*

tibi; quia quod ſcimus loquimur, & quod vidimus teſtamur. Paulò antè bene tranſlatum num. 10. *Tu es magiſter in Iſraël, & hæc ignoras?* Sed Græcè ſcientibus articulus, qui Latinè non vertitur (de quo jam diximus cap. 30.) otioſus non eſt. Hiſpané poſſet verti: *Tu eres el maeſtro de Iſrael, i no entiendes eſto?* Tu es ille magiſter Iſrael, &c. In Epiſtola Pauli 2. ad *Corint. cap.* 15. *num.* 2. rectè tranſlatum eſt. *Nam & hoc ingemiſcimus* καὶ γὰρ ἐν τούτῳ στενάζωμεν. ſed qui Græco more neſcit deeſſe χρόνῳ, vel potiùs καιρῷ nihil intelligit. vult enim dicere Paulus: ſcimus nos poſt hoc habere domum, non manu factam, etjam ſi præſens diſſolvatur: ſed nos interim ingemiſcimus, id eſt, in hoc tempore dum hîc manemus. Similis eſt locus *Actorum cap.* 24. *num.* 16. ἐν τούτῳ δὲ αὐτὸς ἀσκῶ, id eſt: *interim & ipſe ſtudeo.* Noſter interpres *in hoc & ipſe ſtudeo*, rectè. Eraſmus: *Quin in hoc & ipſe ſtudeo.* malè. nam vox, *Quin*, ibi ſupervacua. Pſalm. 126. num. 3. *Ecce hæreditas domini filii: merces fructus ventris.* Rectè tranſlatum eſt; ſed quis ſciet vocem Filii eſſe rectum pluralem, niſi adeat Græcum contextum? ubi etjam Latiné non eſt redditus ὁ μισθὸς *el fruto.* Pſal. 16. n. 8. *cuſtodi me,* [Domine] *ut pupillam oculi.* Quo in loco aliqui ſibi placent nimis, dum præter ſenſum omnium opinionem ſe dicunt intelligere hujus vocis *oculi*, quam ponunt in recto plurali, id eſt, ut oculi cuſtodiūt: cùm ſit genitivus ſingularis.

Non

Non auferetur ſceptrum de regno Iuda. *Gen.* 49.

CAPVT XLVII.

PRomiſit hæc prophetia regnante Herode, qui rex alieno à regibus Iudæorum genere fuit, naſciturum CHRISTVM D. N. At rex Herodes Idumæus ex patre, & Arabs ex matre, ut ait Ioſephus lib. 17. *Antiquitatum*, cap. 10. regnavit in Iuda XXVII. annos. CHRISTVS autem naſcitur, ut alii dicunt. XXIX. anno inchoato Herodis regni: ut alii, à CHRISTO nato ad exceſſum Herodis, anni fuêre duo tantùm abſoluti. quæ nunc ad vivum reſecare non eſt animus; præſertim cùm de ea re docti viri jam operam navaverint. Sed proponendum quomodo certum tempus conſtabit prophetiæ. Nam reliquæ prophetiæ etjamſi per ambages conſtituto tamen tempore terminantur. Dubia & anceps eſt prophetia, quæ non dicam XXIX, vel XXX annis; ſed quæ intra quadriennium divagetur. Videamus an certum & præfinitum habeat tempus, quo CHRISTVS Dominus prænuntiatur naſciturus. Hircanus rex Iudæorum & Pontifex Maximus fuit, quo tempore Hieroſolymæ à Parthis captæ fuerunt. Hircanus item regno & ſacerdotio exutus in Parthiam abducitur. Iudæorum deinde Regem Antigonum Ariſtobuli

buli filium creant ipſi Parthi. Quo regnante Romani Hieroſolymas obſident. Capitur Antigonus & occiditur Senatus Antigono hoſte jam judicato regem Iudæis conſtituit Herodem, eo præcipuè conſilio, ut de Iudæis Romani vindictam ſumerēt: flagellum enim, non regem ſe putabant Iudæis imponere. At Iudæi nunquam potuerunt ulla ratione, aut nimis perſuaderi, ut tali regi ſe dederent, aut alienigenæ obedirent. Herodes miris modis in eos ſæviebat, lacerabat, trucidabat, malè perdebat potentiores Iudæorum, quia regio nomini ubique obſtrepebant. Iudæi denique obduraverant contra regium nomen per multos annos. Tandem feſsi obdurando, & amiſsis tot principibus, amiſsis rebus ſuis, decreverunt ire ad Herodem, & quod vi & imperio coacti erant facturi, volentes ſe facturos promiſerunt. Tunc eos benignè ſuſcepit Herodes, & utraque parte annuente, & volente, Rex Iudæorum eſt pronunciatus. Eo anno natus eſt CHRISTVS ſervator noſter. Teſtatur Philo Iudæus lib. 2. de *temporibus*, ſive alius ſit illius libelli author his verbis: (reclament hîc eruditi, & graviter eum adoriantur) *Itemq́ proprium filium, quem ex uxore ejuſdem tribus ſuſceperat interfecit, quod diceretur jam in lege promiſſus Chriſtus natus. Feſſi tandem Hebræi ultrò ipſi ac ejus poſteris regnum obtulerunt, jurantes in fide ipſius ac poſterorum ſeſe permanſuros.* Adſtipulatur Ioſephus lib. 17. *antiq.* cap. 3. qui de

de juramento à Iudæis præſtito inquit; *Nam cùm tota gens Judæorum fidem ſuam jurejurando obligaſſet Herodi Regi & Cæſari, hi ſoli* [Phariſæi] *non jurarunt*, &c. & hæc optima cauſa eſt cur in Evangelio Divi Matthæi toties inculcetur nomen Herodis regis, ut cap. 2. num. 1. *in diebus Herodis regis*. & in num. 3. *Audiens autem Herodes rex*: quaſi dicat Divus Matthæus. Nunc completa eſt prophetia Iacob, quia jam Herodes *rex* nominatur: nunc verè regnum Iuda mutavit poſſeſſorem. ipſimet Iudæi tradiderunt regnum ſuum alienigenis. Nam antea, etſi aliquoties ut tempore Machabæorum, & tempore Herodis, diſceſsit ſceptrum à Iuda: illud tamen non eſt verè deficere, quia violenta oppreſsione ſuo regno privabantur Iudæi. Quum enim pallium tuum per vim alius poſsidet, ritè ſemper tuum vocabis, donec tua ſpontè pallii uſum illi conceſſeris. Poterit & quæſtio hæc de tempore prophetiæ aliter diſſolvi, ſic: apud antiquos Hebræos & Græcos, non ſolùm reges & judices ſceptrum, ſeu quod idem eſt virgam, in manibus geſtabant (quod egregiè diſputat Don Antonius Guevara in Habacuc cap. 3 à num. 192.) Itaque in Tribu Iuda nunquam defuit virga uſque ad illam ſpontaneam traditionem, de qua ſuprà, (quamvis in ipſo Principatus ingreſſu ſeptuaginta Iudicum Senatum Herodes ſubmovit,

atque nullum de tribu Iuda deinceps ſceptrum geſtare permiſit) etjamſi regnum fuerit interruptum. In Ægypto namque ſub Pharaone: in deſerto ſub Moyſe. in Palæſtina ſub aliarum tribuum judicibus ac regibus: in Babylone ſub ipſa captivitate. poſt reditum ſub aliis ducibus atque ſacerdotibus, ſuos Principes tribus Iuda ſemper habuiſſe putatur, quos recenſet Divus Matthæus cap. 1. & Divus Lucas cap. 3. Neque totius populi Iſraëlitici regimen ſemper penes ſe habuit tribus Iuda; quia illi duces non omnes fuerunt de Tribu Iuda. Moyſes enim fuit Levites. Gedæon Manaſſæus. Tholas Iſacaræus. Anchialon Zabulonius. Samſon Danæus. Samuel Ephretes. Saul Benjaminius. Hoc acceptum refero. Don Antonio Guevara, quod latè apud eum loco citato ſcriptum invenies.

Collyrida Divi Ambroſii & Hieronymi lectio vindicata.

CAPVT XLVIII.

PEtit Antonius Nebriſſenſis in *Quinquagena.* cap. 12. oſtendi ſibi ubi apud Græcos & Latinos *collirida* reperiatur: aut quid ſignificet. Dico ſcribendum eſſe *collyrida* per *y*, ut ſcribitur 2. *Regum* cap. 6. num. 19. *collyridam panis unam.* Hiſ-

panè

panè *una torta:* nam κολλυρίζειν eſt opus pictorium facere, vel in ſartagine coquere. ut in dicto 2. *Regum* cap. 13. num. 6. ubi legitur: *veniat obſecro Thamar ſoror mea, ut faciat in oculis meis duas ſorbitiunculas.* Græcè ἐλθέτα δὴ Θήμας ἡ ἀδελφή μου πρὸς με καὶ κολλυρισάτω ἐν ὀφθαλμοῖς μου δύο κολλυρίδας. Eſt igitur κολλυρίς, *torta panis*, oleo in ſartagine cocta, de qua *Levit.* cap. 7. num. 2. *& collyridas olei admiſtione conſperſas.* ubi LXX καὶ σεμίδαλιν πεφυραμένην ἐν ἐλαίῳ. *& ſimilam conſperſam in oleo.* & cap. 8. num. 26. *& collyridam conſperſam oleo.* LXX. καὶ ἄρτον ἐξ ἐλαίου ἕνα. *& panem ex oleo unum.* ubi Schol. ἄλλος κολλύραν. *alius collyram.* in Complutenſi locus integer ſic habet: ἔλαβε κολλύραν ἀζύμου μίαν καὶ κολλύραν ἄρτου ἐξ ἐλέου μίαν. id eſt, *ſumſit collyram azymam unam, & collyram panis ex oleo unam.* Cujus vocis Græci paſsim meminerunt. Pollux. lib. 1. cap. 12. §. 18. περὶ ἄρτου καὶ οἴνου. *de pane & vino.* εἶτα, κρίμνα μάζα κολλύρα, & lib. 6. cap. 11. κολλικὲς κολλαβοὶ, ναστοὶ, ἄμυλοι, κολλυραί. & Plauto *collyra*, in Perſa act. 4. *collyræ facite, ut madeant.* unde Latiné poteſt inclinari *collyrida* parcè à fonte Græco detorta. Aliud eſt κολλούριον, per ου diphthongum, aut etjam κολλύριον per *y. collyrium.* id eſt, oculorum medicamentum. dictum, quod fluxum oculorum ſiſtat: quaſi τὸ κωλύον τὸ ῥέειν. Quid? quod etjam *collyrium* ſignificat emplaſtrum in modum tortæ apud Dioſcoridem, & Cornelium

Celſum. At *collicida*, quod placet Nebriſſenſi, mihi non placet: nam ex Græco κόλλιξ, non aptè formabis Latinè *collicida, collicidæ*. At ex κολλυρὶς κολλύριδος aptiſsimè Latini efformabunt *collyrida, collyridæ*, ut in multis eſt reperire. Ex his retinenda antiqua lectio Divi Ambroſii Epiſt. 82. ad *Vercellenſem Eccleſiam*, qui referens illud 3. *Regum* cap. 19. *Reſpexit* [Elias] *& ecce ſubcinericeus panis ad caput ſuum.* ait: *Denique Helias, quem Dominus ad virtutis erudiebat profectionem, ad caput ſuum collyridam, & vas aquæ reperit.* & ita legendum ex omnium antiquorum codicum fide apud Divum Hieronymum Ep. ad Euſtochium: *Reſpexit Helias & ecce*, inquit, *ad caput ejus panis collyridæ.* Si enim, quicquid in aliquo authore non aſſequimur liceat emendare, & tanquam nothum perfodere, facillimam nobis ad omnium ſcriptorum explicationem ſternemus viam; compendiariam ſané, ſed non ſine diſpendio.

Sicut

Sicut qui mittit lapidem in acervum Mercurii, ita qui tribuit inſipienti honorem. *Scriptura ſacra fabuloſis nominibus veritatem docet. Hermas. Hermaeion. Lapides ad crucem in viis.* κύριε ἐλέησον. *Puellæ ad nuptias omen ex voce. Catullus explicatus.* Timere *&* *ſperare idem. illuſtrata quædam lex.* C. Theodoſiani.

CAPVT XLIX.

LOcus ille ſedem habet in *Proverbiis Salomonis* cap. 26. num. 8. quem multi dum conantur explicare variè, dicunt varia. Multa inculcat Eraſmus in proverbio *Mercuriale*; ſed & ipſum proverbiũ nihil eſt, ut ibi animadvertit Henricus Stephanus. nec alia lectio quærenda, ubi ſit nobis interpretis noſtri tranſlatio. Liquidò enim conſtare affirmo, à vulgata editione non recedendum. Multi tamen, dum non poſſunt, aut, quod pejus eſt, vulgatam lectionem nolunt interpretari, ad neſcio quas technas rabinicas confugiunt, quæ cùm videantur ſubtiliſsimæ, cerdonum, aut pellionum, quales ferè ſemper eſſe ſolent Rabini, inveniuntur interpretationes. Illud igitur, quod vulgata lectio proponit, videamus quid ſignificet. Quo etjam facto & Hebræa lectio accipiet lucem.

Solebant antiqui in biviis, aut triviis ſtatuam Mercurii collocare, quò cùm perveniebant, qui faciebant iter, ac mercatores præcipuè, quorum Deus erat Mercurius, honoris gratia offerebant lapillum. Is & viarum præſes effingebatur trunco habitu ex lapide rudi, in formam quadratam, hiſce Græcis verbis ſubſcriptis ὅδιος. *auſpicatus ad iter.* ὁ δηγὸς, *dux viæ.* unde ἐνόδιος, teſte Heſychio, ſive ἐνόδιος, quos *Hermam* vocabant Græci, & acervi dicebantur ἕρμακες. *Viacum* vocant Latini. Lapis antiquus

DEO MER........
VIACO
M. ATILIVS
SILONIS F.
QVIR. SILO
EX VOTO.

Vetuſtiſsimi Iudæorum vocant MÈRKOLIS, ſive *Mercurium.* Citant ex gloſsis Thalmudicis tractatu de *Idololatria* fol. 42. pag. 1. *Sunt gentes, quæ colunt lapidum acervum, quem* MERCOLIS *vocant. Cultus autem ejuſmodi eſt. Quiſquis venit projicit lapidem in acervum illum.* Quare autem mercatores, aut iter facientes Mercurium honoris ergò lapideo cumularent ex antiqua fabula dimanavit, quam Didym. lib. 16. *Odyſs.* in hanc ſententiam Græcè narrat, Anticlidemque laudat authorem. *Mercurius,* inquit, *præcipiente Iove,*

ve, Argo jus cuſtodi cùm vitam eriperet à Junone, ob id factum irata, abſente Jove, in judicium eſt protractus: eiq́ue, quod cæde mortalium dæmonum eſſet coinquinatus, præſentibus cæteris Diis grandis dica fuit impacta. Mercurius in Deorum concionem protractus, nihil ampliùs in ſui defenſionem eſt machinatus, quàm ſe id feciſſe Deorum omnium rege potentiſſimo imperante. Dii ergo hæc audientes cùm calculos ſuffragiorum albos, aut nigros ad abſolvendum, vel condemnandum in manibus haberent, ſurrexerunt ſinguli, & ad pedes Mercurii neque abſolventes, neque condemnantes projecerunt tabellas. Hoc factum cùm intellexiſſent mortales, Mercurium in triviis, itineribus ſtantem, lapidum ad ipſius pedes projectione conſtituerunt honorare. Cumulos hos Mercuriales, ἑρμαίους λόφους *antiqui vocarunt.* Autor item Etymologici hoc idem narrat, cujus verba libenter tranſcribo, ut penitus rem illuſtrem & aperiam. Ἑρμαῖον τὸν σωρὸν τῶν λίθων καὶ συνόλως τοὺς ἐνοδίους λίθους λέγει δὲ περὶ αὐτῶν. Ξάνθος ὅτι ἀποκτεί-ναντος Ἑρμοῦ τὸν Ἄργον καὶ δίκας εἰς πραττομένου καὶ ὑπέχοντος ἐν τοῖς θεοῖς διὰ τὸ πρῶτον ἅψασθαι τῶν λοιποὺς ἀφοσιουμένους τὸ ἄγος, καὶ ἀπολύοντας τοῦ φόνου προβάλλειν αὐτοῦ τὴν ψῆφον ὅθεν διαμένειν ἔτι καὶ τῶν Ἰλιάδος. π.

—— ὅθι Ἑρμαῖος λόφος ἐστίν

Ἑρμῆς κατὰ Διὸς κέλευσιν ἀνελὼν Ἄργον τὸν τοῦς φύλακα, ἤχθη ὑπὸ δίκην Ἥρας αὐτὸν καὶ τῶν ἄλλων θεῶν εἰς κρίσιν ἀγόντων. κρινόντας δὲ τοὺς θεοὺς, οὐ λαβεῖσθαι μὲν Δία. διὰ τὸ ὑπόδικον γενέσθαι τὸν Ἑρμῆν. ἅμα δὲ ἀφωσιωσαμένους ἣν

εἶχον ὀργὴν προσβαλεῖν αὐτῷ τὰς ψήφους καὶ οὕτως ἐπισωρευθῆναι πλῆθος πολύ. Διὰ τοῦτο λέγεται σωροὺς ποιεῖν λίθων. καὶ τούτους καλεῖν Ἑρμαίους λόφους. id eſt, *Hermæum cumulum lapidum, & univerſim lapides congeſtos in via. Dicit autem de ipſis Xanthus, quòd cùm occidiſſet Mercurius Argum, & Deorum judicium ſubiiſſet, atque pœnam perſolviſſet, quoniam id primùm tentavit, reliquos Deos facinus expiantes, & morte illum liberantes, calculos ante ipſum projeciſſe. unde adhuc percrebuit mos. Iliad. π.*

ubi Hermæus cumulus eſt.

Mercurius Jovis juſſu, qui interimit Argum Jus cuſtodem, ad ſupplicium ducebatur, ducentibus ipſum Junone & aliis Diis ad judicium. Judicantes autem Deos Jovem metuiſſe, quod mortis reum egiſſent Mercurium, & expiantes ſimul, quam conceperant iram, projeciſſe ante ipſum calculos [ſuffragiorum] *& ſic congregari molem plurimam Propterea dicitur cumulos facere lapidum. & hoc vocari. Hermæos calculos.* Iam igitur locus noſter ſic venit explicandus. Quemadmodum ad ſtatuam Mercurii lapides mittere, honoris cauſſâ, ſumma dementia eſt; quia ſtatua Mercurii, aut lapis eſt, aut lignum nihil ſentiens: ita ſtulto homini honorem tribuere inſcitia eſt: Enimvero ſtultus apud Terentium *caudex*, & *ſtipes*, & *lapis* appellari ſolet. in *Heautontimorumeno*, Actorum 5. Scen. 1.

— *in*

——in me quidvis harum rerum convenit
Quæ ſunt dicta in ſtultum, caudex, ſtipes, aſinus, plumbeus.

De homine inſenſato, qui dicitur *lapis*, Idem inibi. act.4. Sc.6. *Syr. hei quid ſtas lapis!* Plautus in milite. *Nullum hoc eſt ſtolidius ſaxum.* hinc Ariſtippi illud, qui interrogatus de filio, reſpondit: *In theatro ſaltem non ſedebit lapis ſuper lapidem.* innuens fore vegetum, nam à lapide nil diſtare imperitum. Hiſpani exprimunt, ſcitè, *es una piedra*, *es un palo.* vide adagium ὑπόξυλον. Huc ſpectant verba Divi Lucæ cap 3 num.8. *quia potens eſt Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ*, id eſt, de duris corde. Stupidis, ac pænè brutis hominibus, qui nil adhuc divinum ſapiunt. Quapropter lapides ſine ſenſu. Mercurius ergò ex lapide aut ſtipite. Ridet Tertullianus lib. adverſus Pſychicos, *rurſus*, inquit, *palos terminales figitis Deo.* Et Lactantius de *falſa religione*, lib. 1. cap. 20. *Huic ergo publicè ſupplicatur, quaſi cuſtodi finium Deo, qui non tantùm lapis; ſed etjam ſtipes interdum eſt.* Tibullus dixerat lib. 1. Eleg. 1.

Nam veneror ſeu ſtipes habet deſertus in agris;
Seu vetus in trivio florida ſerta lapis.

Exhibeo tibi effigies Mercuriales, Terminaleſque ex antiquis monumentis.



ubi autem Mercurius antiquitus non erat, ſolitum fuit lapides aliquot acervare, qui vicem Mercurii, & uſum ſupplerent. & hujuſmodi lapidum acervus σωρὸς λίθων vocatus Græcis, qui augebatur tranſeuntium pietate erga viatores; ne ſcilicet aberrarent à via; vel ſuperſtitione ergo Mercurium, de qua dixi, & dixiſſem plura ni obviam mihi doctus Paſchalius *lib.* 4. *de corona*, ſanè florida, *cap.* 4. ex Euſthatio fortè ad ὀδυς. π. *ſub finem. ultima pag.* unde duplicem loci proverbiorum interpretatio-

nem

nem elicio; à ſuperſtitione, quam dixi ſuprà. A pietate, in viatores, talem: ſimile eſt beneficium conferre in ſtultum (quo ad remunerationem intellige) illi quo proſequitur viatorem quiſquis lapidem in acervum jacit, in ſignum & indicinam viæ. beneficium enim eſt peregrinaturis deinceps, ſed eorum nemo imputat datori, quia ignoratur; ita beneficium perdis, ſi beneficium das ſtulto & fatuo: neſcit namque ille referre. Nec adverſatur huic interpretationi fabuloſum videlicet illud eſſe de conſilio Deorum in Mercurii accuſatione, & abſolutione: unde nulla feſtinatio veterum tam rapida tranſcurrebat, ut aliquantulo lapidum aggeſtu, ejus ſtatuam non veneraretur: vel quia non ad fabulam, ſed ad morem ab eadem deflexum reſpexerunt interpretes; vel quia fabuloſis aliquando nominibus utuntur ut detegant & ſpecificent, ac manifeſtent veritatem, & clariùs homines eam edoceant. Vidimus id apud *Iob* cap. 24. num. 14. ubi Noſter vulgatus interpres legit ad veritatem Hebræam ſic: *Et vocavit nomen ejus Diem, & nomen ſecundæ Caſſiam, & nomen tertiæ Cornu ſtibii.* Tranſtulêre LXX τὴν δὲ τρίτην ἀμαλθαίας κέρας. *tertiam autem Amalthææ cornu.* Ad quem locum Nicetas in hæc verba: *Cùm ſcriptura ait cornu copiæ, aut Syrenum, aut vallis, Titanum, aut gigantum mentionem facit, tantùm utilitatem illis fabulis ſignificatam, non verò falſitatem ullam nobis pro-*

pinare. Sed audi Divum Gregorium Nyſſenum homil. 9. ad Cantica, ex recenſione Frontonis Ducæi, qui rem explanat totam. *Scit enim,* inquit, *ſancta ſcriptura etjam ab externis fabulis accipere ad opem ſuo ſcopo ferendam: & citra pudorem meminiſſe aliquorum nominum ad ſenſum propoſitum evidentiùs indicandum. Sicut in filiabus Job, quarum pulchritudinem Verbum ſupra modum admiratum, etjam per nomina oſtendit excellens earum miraculum. dicens unam quidem dici Diem, alteram verò Caßiam, Tertiam autem Cornu Amalthææ. Hoc autem eſt cujvis perſpicuũ quod de Amalthæa fabuloſè Græcam confixit narrationem, quam, cùm eſſet capra, fabulantur fuiſſe nutricem illius Arietis, cujus, cùm cornu cecidiſſet, fabula fecit, ex concavo fluere omne genus frugum, ac fructuum copiam: Séne ergo ſiſtit ſancta ſcriptura in iis quæ narrantur de Amalthæa? nequaquam. Sed filiæ Job ferens teſtimonium, quo eſſet feracißima omnium, quæ ſunt ex virtute bonorum, per hoc nomen id oſtendit, adeò, ut qui eſt conſideratus, audiens ſcripturam ſolum laudis ſcopum intelligat ex nomine; fabuloſas autem nugas valere jubeat. & audientes Caßiam, & Diem; neque aromaticam materiam, neque ſolis curſum ſupra terram per hæc nomina didiſcimus; ſed vitæ earum ex virtute agendæ oſtenſionem dicimus nomina comprehendere.* Hæc Nyſſenus. Hinc fluxit apud Chriſtianos, ut juxta Cruces in itineribus

lapides

lapides videamus accumulatos. Nam primi Chriſtiani quò pravum antiquum morem averruncarent, crucem pro Mercurio ſubſtituere cœperunt, & lapides cum magna reverentia mittere, in memoriam Calvarii montis, deducentes ſuperſtitionem illius ſæculi corruptiſsimi in veram pietatem, & religionem, ſicque idololatriam fugarunt omnem.

Huc refer ſodes quod ſcribit Don Antonius Anguſtinus Epiſcopus Tarraconenſis, Vir Celtiberis non tacendus gentibus

Noſtraq; laus Hiſpaniæ.

Circularis figura Divinæ Hoſtiæ in ſacroſancto Miſſæ ſacrificio ſpeciem ejus reddit, quæ in media conſpiciebatur mitellâ; quâ victimæ apud Romanos velatæ ducebantur ad aras. Numum æreum Titi Imperatoris aſpice.



Ritus enim, & conſuetudines Gentilium inolitas, à quibus, quamvis Chriſtiani effecti eſſent eos penitus divelli impoſsible videbatur, eaſdem in veri Dei cultum transferri ſanctiſsimi Epiſcopi conceſſerunt. Exemplo eſt quod Divus Gregorius Niſſenus præſtitiſſe Sanctum Gregorium Thaumaturgum teſtatur in ipſius vita: & Theodoretum habeo, qui in lib. 8. de *Evangelica veritate* affirmat id & alios Antiſtites religioſiſsimos factitaſſe, & communi Eccleſiæ uſu receptum. Indi verò, & Mahũm edani adhuc retinent ſuperſtitionem illam, projiciendorum lapidum, ut patet ex verbis, quæ apud Vincentium Bellovacenſem citata comperit Ioſephus Scaliger, & ipſe refert lib. 5. de *emendatione temporum*. verba ſunt *Indiæ gentium, quæ* ZECHIAM, *&* ALBARACHVMA, *antiqua conſuetudo fuit nudos & decalvatos, magniſq; ululatibus perſonantes ſimulachra Dæmonum circuire, angulos oſculari, & projicere lapides in acervum. qui, quaſi pro honore, Diis exſtruebatur. Inde enim eſt quod in libro Salomonis dicitur:* Qui projicit lapidem in acervum Mercurii. *Faciebant autem hoc bis in anno, ſole ſcilicet exiſtente, in primo gradu Arietis. & rurſus cùm eſſet in primo gradu Libræ. hoc eſt, initio Veris, & Autumni. Hæc ergo conſuetudo, cùm ab Indis ad Arabas deſcendiſſet, eamq; ſuo tempore apud* MECHAM *in Veneris honorem Mahumeth celebrari reperiſſet,*

ſet, ſic illam manere præcipit, cùm tamen cetera Idololatriæ veſtigia, removiſſet. Idemque Scaliger non uno in loco docet lapides in acervum à Mahummetanis jaci extra urbem Mecham ad montem Arraphot die x. Dilchagiathi. Nos ergo, ut unde digreſſa eſt redeat oratio, mores religioſos, ut externa quæque inſignia reſpicientes, aliquando etjam mutuamus. Ethnici à ſacris litteris, diverſo tamen fine, illi contaminant, nos autem ab impuro cultu in veram reducimus pietatem, *multum enim intereſt utrum unio ſtatuatur in cœno* (Theodoretus ait, & quidem ad rem (judicabis Lector) appoſitè,) *an verò ſitus, & inſertus in corona reſplendeat.* Dixi jam de his *cap.* 26. Nunc addo precandi formulam κύριε ἐλέησον à ſancta matre Eccleſia decantatam, inveniri apud antiquos Virgilius lib. 12. Æneid.

—— tum verò amens formidine Turnus
Faune, precor, miſerere inquit ——

Arrianus recentior autor in Epictetum lib. 2. c. 7. νῦν δὲ τρέμοντες τὸ ὀρνιθάριον κρατοῦμεν, καὶ τὸν θεὸν ἐπικαλούμενοι δεόμεθα αὐτοῦ, Κύριε ἐλέησον ἐπίτρεψόν μοι ἐξελθεῖν, id eſt, *nunc autem timentes augurium munimur & Deum invocantes precamur ipſum adeſſe Domine miſerere fac mihi exeundi poteſtatem.* Sed nunc hærent, quod deplorandum eſt, aliquot ſuperſtitiones, quas nec diuturni temporis ſpatium delere valuit. unam tantùm apponam ut obſcuro

Catulli

Catulli loco, nunquam (fas ſit ita loqui) intellecto præluceam facem. Puellæ Hiſpanæ nupturientes in profeſto Nativitatis ſancti Ioannis Baptiſtæ

—peractis omine votis.

intempeſta nocte, velut feneſtris pendentes, ex nomine primùm illic audito cognominem maritum certum ſibi pollicentur & augurantur. O vana religio! ô ſequioris ſexus & levioris imbecillitas, quæ abhinc tot annis captandi ominis ſuperſtitionem religioſè obſervas.

(Quam fruſtra augurium vani docuère parētes!) Audi Ciceronem li. 1. de Divinatione, ubi de ominibus. *Lucium Flaccum*, inquit, *Flaminem Martialem ego audivi cùm diceret Cæciliam Metelli, cùm vellet ſororis ſuæ filiam in matrimonio collocare, exiſſe in quoddam ſacellum, ominis capiendi cauſſa, quod fieri more veterum ſolebat. cùm virgo ſtaret, & Cæcilia in ſella ſederet, neque diu ulla vox exſtitiſſet, puellam defatigatam petiiſſe à matertera, ut ſibi concederet pauliſper, ut in ejus ſella requieſceret. Illam autem dixiſſe: Verò, mea puella, tibi concedo meas ſedes. Quod omen res conſecuta eſt. Ipſa enim brevi mortua eſt, & virgo nupſit cui Cæcilia fuerat nupta.* Idem ſcripſit Valerius Max. lib. 1. c. 5. §. 4. &, quaſi Ciceronem explicans, adjicit: *nam cùm in ſacello quodam ejus rei gratia aliquandiu perſediſſet, nec ulla vox propoſito cōgruens eſſet audita*, &c.

Ex

Ex his explicandus Catullus *Epigr.* 62. de nuptiis Iuliæ, & Manlii.

Te timens cupida novos
captat aure maritos. —

id eſt, puella timens ne incidat in malum maritum, aut aliis moribus, quàm cupit, & ſperat; votis nimirum non reſpondentem ſuis; cogitat ex voce nomen futuri mariti expiſcari, &, ut captet, omenq́ue faciat, cupida auſcultat aure. Nempe Hymenæum timens. Qui enim ſperat, timet: & qui timet, ſperat. unde *timere* & *ſperare* idem apud Latinos. dixi latè ad Martialem in ſecundis notis: in jure verò *l.* 25. *lib* 10. *tit.* 10. de *Petitionibus. Cod. Theod. Cùm per Illyrici partes barbaricus ſperaretur incurſus.* Congerit plura, Bocchius ad *Pſal.* 68. *num.* 21. Succinit Italus Poëta *Ode* 12. *part.* 1. *Poemat. Stroph.* 3.

Con voce allhor dè ſi mirabil tempre
Riſpoſe [Laura] *& con un volto*
Che temer, & ſperar mi farà ſempre.

Plutarchus adſcribit timorem ſuperſtitioni in libello de *ſuperſtitione* ςεφανώμϑρ@-, inquit, ὠχεία, θύει, ϰ φοβεῖται. *Coronatus pallet, ſacrificat ac timet,* nam ſuſpenſus alter hic ab altero affectus. *Ariſtot.* 2. *Rhet. ad Theod. cap.* 5. Seneca epiſt. 5. *deſines, inquit, timere, ſi ſperare deſieris.*

Extrema linea. Horatius emendatus. Terentio nova lux. duplex linea in ſtadio σκοπὸς. *D. Pauli verba illuſtrata.* In finem *proverbium ſacris litteris familiare.*

CAPVT L.

ADagium extat apud Latinos *Extrema linea*, cùm rem ultimam & extremam vellent ſignificare. Sed quid ſit *extrema linea* Adagiographi non ſatis explicant. Nec Terentiani expoſitores, in quibus eſt Donatus id olfecerunt. Donatus quinque lineas in amore facit, quæ verſiculo ſatis frigido comprehenduntur. Quod figmentum fefellit etjam Dionyſium Lambinum, dum explicat locum Horatii ex Ode 13. lib. 1. Carmin.

——oſcula quæ Venus
Quinta parte ſui nectaris imbuit.

quem ego emendandum arbitror, & ſic legendum cum admiratione:

Quanta parte ſui nectaris imbuit!

Locus Terentii eſt in Eunucho Act. 4. Scen. 2.

——certe extrema linea
Amare haud nihil eſt.——

id eſt, aliquid eſt, immò multum eſt, eſſe totum deditum amori, & extrema linea amare. Hiſpané dicitur: *amar por el cabo.* ducta metaphora à lineis,

quæ

quæ in ſtadio. Duplex ibi linea, & à qua: & ad quam currebant. Veteres enim in carceribus lineam extendebant, cui inſiſtebant curſuri; & ad quam ex æquo ſtabant donec currendi ſignum acciperent. De iſta *Ariſtides Sophiſta in Themiſtocle,* ἐξέτασις πρώτη αὕτη Τεμιστοκλέους καὶ κρίσις ἐντεῦθεν ὅρα τὸν ἄνδρα, ἀπὸ γραμμῆς ἀρξάμενος. id eſt, *Hoc primum Themiſtoclis ſpecimen, ac probatio; hinc virum ſpectato à linea exorſus.* Altera verò linea, quæ ducta metam deſignabat, & in qua præmium victori pro ſcopo erat. A Divo Paulo vocatur σκοπὸς, ad *Philipen. cap. 3. num.* 14. ubi à curſoribus gymnicis tranſlatam perpetuò metaphoram duxit per multos verſus, κατὰ, inquit, σκόπον διώκω ἐπὶ τὸ βραβεῖον τῆς ἄνω κλήσεως τοῦ θεοῦ ἐν χριστῷ Ἰησοῦ. id eſt, *ad ſcopum perſequor, ad bravium ſupernæ vocationis Dei in* CHRISTO IESV.

Hanc lineam Græci appellant γραμμὴν Pindarus *Pyth. Od.* 9 ubi de Danai filiabus in epodo ultima.

> οὕτω δ' ἐδίδου Λίβις ἁρμόζων κόρᾳ
> Νυμφίον ἄνδρα ποτὶ γραμμᾷ μὲν αὐτὰν στᾶσε κοσμήσαις, τέλος ἔμμεν ἄκρον.

id eſt: *ſic autem dabat Libis copulans filiæ ſponſum virum: ipſam quidem, cùm exornaſſet, collocavit ad lineam, terminus ut eſſet extremus.* Ad rem Pollux *lib. 4. onomaſticου. cap. 30. §. 3.* περὶ δρόμου γυμνικοῦ, &c. *de curſu gymnico,* &c. καὶ ὅθεν μὲν ἀφίενται, ἄφεσις καὶ ὕσπληγξ καὶ γραμμὴ καὶ βαλβίς περὶ δὲ

 ὃ κάμπ-

ὃ κάμπτουσι νύσσα καμπτής ἵνα ἢ παύονται τέλος καὶ τέρμα καὶ βατήρ. ἔνιοι δὲ καὶ Βαβλίς. id eſt, *& unde verò emittuntur, emiſſio, carcer, linea, repagulum: ſed circa quod flectuntur, inclinatio, & flexus, dicitur: ubi autem ceſſant, finis, & meta, & terminus. Aliqui autem &* βαβλὶν *[appellant.]*

Huc alluſit Euripides in *Antigona.*

——ἐπ' ἄκρον ἥκομεν γραμμὴν κακῶν.

Devenimus ſummam ad malorum lineam.

Et in Electra:

Μή μοι τὸ πρῶτον βῆμ' ἐὰν δράμῃ καλῶς,
νικᾶν δοκείτω τὴν δίκην, πρὶν ἂν πέλας,
γραμμῆς ἵκηται, καὶ τέλος κάμψῃ βίου.

*Ne mihi, licet primum cucurreris benè
curſum æſtimetur victor, ante lineam.
quam tangat, & compleat vitæ modum.*

Quem imitatur Horatius *libr.* 1. *Epiſtol.* 16. *verſu* 79.

——mors ultima linea rerum.

Comparatio enim ſtadii, ac vitæ mutua inter ſe. Tertullianus vocat Hermogenem, contra quem ſcripſit, *ignorantium extremam lineam.* & apud Latinos *tranſilire lineas*, pro metam transgredi. Ex his intelliges proverbium, quod ſacræ litteræ efferunt ſæpè ſic: εἰς τέλος. id eſt, *in finem.* Mitto hic titulos Pſalmorum, qui epigraphen habent: *In finem.* de quibus magna eſt inter doctos controverſia. In lingua ſacra LEMNATSEAHH, inſcribuntur.

buntur. Eximiis enim, & præſtantibus vocibus decantabantur, ſenſum audientium *in finem*, vehementiùs, ac multa vi, pulſantibus. Alios locos adducam, qui ab hoc proverbio pendere mihi videntur. Pſalmo 37. num. 7. *Miſer factus ſum, & curvatus ſum uſque in finem.* ἕως τέλους. Hiſpanè: *muy mucho todo lo poſsible*. Gallicè. *juſques à la haulte game.* in Hebræo ſonat *nimis*. Pſalm. 12. num. 1. *Vſquequo Domine oblviſceris me in finem.* εἰς τέλος. ad Hebraïcam veritatem *penitus* redditur. Pſal. 73. num. 1. *ut quid Deus repuliſti in finem?* εἰς τέλος. Gallicè. *juſqu'au bout*. tantoperè. omninò. Hiſpanicè, *haſta al cabo*. In Evangelio Divi Ioannis cap. 13. num. 1. *Cùm dilexiſſet ſuos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos.* εἰς τέλος ἠγάπησεν. *por el cabo huvo amado*, aut, ſic Latinè: *diligens ſuos qui erant in mundo, valdè jam dilexerat illos, & extremo amore fuerat proſecutus*. juxta illud ejuſdem Evangeliſtæ cap. 15. num. 13. *majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis*. Itaque τέλος eſt *finis*, & dicitur ἀπὸ τοῦ τελεῖν, id eſt, *à perficiendo*: quia finis adeptione, una quæque res perficitur; & ſic *amare ultima linea* eſt idem, quod amare in finem, vel uſque in finem. *Qui cuncta coronat.*

Juan Gallo de Landrade

ΤΕΛΟΣ.

SPECIAL 88-B
25021
GETTY CENTER LIBRARY

WILLIAM SALLOCH
Pines Bridge Road
Ossining, N.Y. 10562

99